DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

SPECIMINIS CODICIS CIVILIS NEERLANDI ANNI 1820 LIBRO I

ET

CODICIS CIVILIS NEERLANDI LIBRO I INTER SE COMPARATIS.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

SPECIMINIS CODICIS CIVILIS NEERLANDI ANNI 1820 LIBRO I

ET

CODICIS CIVILIS NEERLANDI LIBRO I

INTER SE COMPARATIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO AC HODIERNO

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

ARNOLDUS MARTINUS VAN STIPRIAAN LUÏSCIUS,

DELPHENSIS.

AD DIEM XIII M. JUNII A. MDCCCLI, HORA II—III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD JAC^{H}. HAZENBERG, CORNELII FIL^{M}.

BIBLIOPOLAM.

Ex typographeo H. R. de Breuk.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

hasce studiorum primitias ea, quae filium decet, pietate

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Spatio Academico finem impositurus, idque dissertatione conscribenda perficere cupiens, multum dubitavi, quodnam argumentum tractarem. Quum in magna argumentorum copia incertus haerebam, suasit mihi Promotor Clarissimus, ut scriberem de Speciminis Codicis Civilis Neerlandi anni 1820 *libro I et Codicis Civilis Neerlandi libro I inter se comparatis. Opus hocce aggressus sum et pro viribus meis absolvi. Argumenti gravitatis et virium mearum tenuitatis optime conscius, lectoris, si quem habere mihi contingat, benevolentiam invoco. Dedi, quae potui, minime vero, quae volui.*

Vitae Academicae fine appropinquante, praeterita respiciens, grave quidem sed dulce tamen officium mihi restare intelligo. In primis enim tu compellandus es, Clarissime van Assen, *Promotor aestumatissime! ut gratias tibi debitas publicas agam pro egregia tua institutione, quam non tantum in scholis sed etiam in privatissimis tuis lectionibus mecum communicasti, pro auxilio et consiliis mihi in dissertatione conscribenda tributis. Ad vos quoque, Viri Clarissimi* Tydeman, Cock, de Wal *et* Vissering! *me converto, ut grati animi*

sensum vobis aperiam pro variis iisque multis beneficiis, quibus mihi profuistis, — pro eruditione insigni, qua animum meum juvenilem scientiae ardore imbuere conati estis. Tibi quoque, Vir Amplissime THORBECKE! *gratias liceat agere pro praeclara illa doctrina, quam a te audire olim mihi contigit. Credite, Viri Amplissimi! Clarissimi! quaenam vobis debeam beneficia, numquam me obliturum esse.*

Triste mihi superest munus vobis valedicendi, commilitones amicissimi! quibuscum in alma hacce musarum sede degi. Amicitiam ne rumpat absentia! amici absentis memoriam servetis, uti ego etiam vestri et conjunctissimae nostrae familiaritatis numquam non recordabor.

CONSPECTUS.

—

CAPUT I.

DE ARGUMENTORUM ORDINE IN SPECIMINE ET IN CODICE SERVATO VARIO.

Priusquam specialem instituamus comparationem inter varia de jure personarum praecepta Speciminis et Codicis, quaedam praemittenda videntur de vario ordine, quem legislatores anni 1820 et anni 1838 observarunt in argumentis hisce per librum primum distribuendis.

Statim jam animadvertimus tertium Speciminis titulum: de domicilio, in Codice efficere titulum quartum. Codicis enim titulus tertius de actis et tabulis status civilis statuit, quum hac de re Speciminis statuit titulus vicesimus tertius. Hic autem Speciminis ordo ideo praeferendus mihi videtur, quod aptius primo loco agitur de statu personarum, deinde de modis, quibus hic probatur.

Speciminis tituli IV, V, VI et VII respondent Codicis titulis V, VI, VII et VIII.

Octavus Speciminis titulus de donationibus inter conjuges agit, cui rei peculiarem titulum Codex non instituit.

Nonus Speciminis titulus inscribitur: de secundis nuptiis; in Codice autem non exstat quidem titulus peculiari de omni hoc argumento, attamen titulus ejus nonus

praecepta exhibet de communione vel pactis nuptialibus in nuptiis secundis vel posterioribus; deinde reliquorum, quae Speciminis titulus nonus continet, plura jure nostro in titulis, qui de nuptiis et de absentia statuunt, occurrunt.

Codicis tituli decimi argumentum est bonorum separatio, de qua Specimen peculiari in titulo non statuit, quum illam separatim a thori et mensae separatione peti non sinat 1).

Speciminis titulorum X et XI inscriptiones cum Codicis titulorum XI et XII inscriptionibus congruunt. Speciminis titulus duodecimus de liberis legitimis et de parentum in eos potestate statuit, conjunctaque igitur continet, quae Codex per titulum decimum tertium: de paternitate et de liberorum natalibus, et per titulum decimum quintum: de patria potestate disparsit. — Speciminis titulus decimus tertius de liberis illegitimis, titulus decimus quartus de legitimatione statuit, de quibus Codicis tituli XIII et XV praecepta tradunt. — Ordinis systematici laudem Specimini hic denegare non possumus, quippe quod, absoluto loco de matrimonio, deque hujus quod ad conjugum personas et bona effectibus, transeat ad nuptiarum statuendas consecutiones quod ad liberos, ex illis natos 2), deinde statuat de liberis, qui ex justo matrimonio nati non sunt 3), porro statuat modum quo liberis illegitimis jura liberorum legitimorum tribuantur. — Locum de paternitate a loco de patria potestate sejungit Codex intermisso titulo 4) de consanguinitate et affinitate; quod vitupero, quia duo illa argumenta, quip-

1) Spec. art. 450.
2) Spec. tit. XII.
3) Spec. tit. XIII.
4) C. tit. XIV.

pe ut causa et sequela, arcte inter se cohaerent. — Rectius igitur Specimen, absoluto demum loco de liberorum natalibus et de parentum in eos potestate, de consanguinitate et affinitate statuit 1).

Speciminis titulo decimo sexto argumento est minor aetas et tutorum datio, — ejus titulo decimo septimo officia et potestas tutorum, — et ejus titulo decimo octavo tutelae exitus hujusque sequelae, — quae omnia in unum titulum contraxit Codex 2).

Speciminis anni 1816 titulus decimus nonus de venia aetatis statuebat. Collegium autem jureconsultorum, e Neerlandia meridionali electorum, quum cuperet emancipationem illam arctiorem Codicis Napoleontici recuperare, — post concilii imperii deliberationes Specimen originale in eo mutavit rex, ut novum titulum 3) de emancipatione adderet, quum de venia aetatis peculiaris titulus 4) ageret 5). Ab illis autem Codex sic discrepat, ut hic duo illa argumenta in unum titulum 6) conjungat.

Sequens Speciminis titulus 7), de cura statuens, Codicis titulo decimo octavo respondet.

Ultimus Codicis titulus 8) de absentia statuit, de qua praecepta dat Speciminis titulus vicesimus secundus.

Praeter Speciminis titulum de actis et tabulis status civilis, de quo jam vidimus, — superest ejus titulus vi-

1) Spec. tit. XV.
2) C. tit. XVI.
3) Spec. tit. XIX.
4) Spec. tit. XX.
5) Mr. J. C. Voorduin, geschiedenis en beginselen der Nederlandsche wetboeken. I. 1. pag. 213; III. pag. 136 et 137.
6) C. tit. XVII.
7) Spec. tit. XXI.
8) C. tit. XIX.

cesimus quartus, qui inscribitur: „van korporatien, ver-„eenigde ligchamen en stichtingen, als personen be-„schouwd." In quantum argumentum hocce Codex recepit, illud statuitur in ejus libri tertii titulo decimo, et quidem, sicuti in oratione principis expositum est 1), ut differentia inter corpus morale et societatem clarius appareret. Hanc autem causam idoneam esse non crediderim, nam sic vel diversissima argumenta semper conjungenda essent; sic eodem jure titulus de bonorum communione sequeretur titulum de societate 2). Ego contra puto Speciminis ordinem servari debuisse; spectandum enim est corpus morale tam quam unitas personarum, quae juris fictione, juridicam efficit personam, quae ipsa se obligare aliis aliosque sibi obligare possit 3).

CAPUT II.

DE PERSONIS 1).

Speciminis titulus primus inscribitur de personis generaliter earumque differentia. Explicatur ibi quinam con-

1) Voorduin l. c. V. pag. 313.

2) J. Pols dissertatio de corporibus moralibus, L. B. 1849. pag. 2 et 18.

3) Mr. C. J. van Assen, leiddraad voor het collegie over het burgerlijk wetboek pag. 29 et 46—50.

4) Bijdragen tot regtsgel. en wetgeving IV. pag. 244; VI. pag. 219—221. G. A. v. Hogendorp diss. cont. observ. ad tit. intr. gen.

siderentur personae, nempe omnes homines et hominum conjunctiones, qui jura habere possunt civilia eaque coram judice aut ipsi, aut per alios persequi possunt 1); — sequuntur plura de statu personarum deque earum juribus civilibus. Reprehensionem in quam incidit legislator anni 1820, nimirum commemorasse ipsum lege, quae ad juris doctrinam magis pertinent quam ad legem, omnino injustam non esse, ipse hic titulus argumento est; — exemplo sint art[i]. 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, quorum praecepta et distinctiones magis minusve jureconsultorum studio relinquendae sunt. Ideo fortasse plura illorum statuit Specimen, ut luculentius ejus appareret discrimen cum jure patrio pristino 2). — Codex omnem hunc locum restrinxit; — primus ejus titulus inscribitur: de usu et amissione jurium civilium. Codicis articuli primi principium, jurium civilium usum non pendere ab, et nil commune habere cum juribus politicis, — significatum etiam reperimus in Speciminis generalis introductionis art[o]. 2. — Codicem nostrum etiam agnoscere Speciminis art[i]. 77 principium, foetum, cujus gravida est mulier, vivum editum iri praesumi, et quod ad eum observandas esse omnes provisiones, quae ad jam natos pertinent, — probat Codicis art[us.] 403, qui de curatore ad ventrem statuit. — Speciminis art[i.] 78 praesumtionem, in lite civili vivum natum habendum esse partum, — ut juris criminalis praesumtioni contrariam,

---

et ad titt. tres priores libri primi novi C. B. — L. B. 1827. pag. 48—60.

1) Spec. art. 74.

2) Mr. Y. W. van Hamelsveld: het ontwerp van het burgerlijk wetboek voor het koningrijk der Nederlanden, vergeleken met het vorig, bij ons in gebruik geweest zijnde regt. I. pag. 40 sqq.

legislator anni 1838 non recepit. Codicis art$^{us.}$ 4 mortem civilem juris Francici abrogat, atque ita odiosam C. P. art$^{i.}$ 18 regulam subvertit. Idem certe fecisset legislator anni 1820, dummodo scivisset Codicem civilem diu ante accepturum esse vim legis, quam novus perfectus esset Codex Poenalis. — Generalis Speciminis art$^{i.}$ 90 regula, quodsi plures homines uno simul malo aliquo perierint, et dubitetur, uter primus mortuus sit, eos censeri in eodem temporis momento mortuos esse, — jure nostro quidem non exstat, attamen specialem ejus applicationem invenimus in loco de successione, in quem maximam certe vim extendit; — facile tamen haec omnia potuissent omitti, nam si de iis omnino sileretur, nihilominus juris Napoleontici praesumtiones abrogatas esse, nemo certe dubitaret.

CAPUT III.

DE NEERLANDIS ET PEREGRINIS 1).

§ 1. Speciminis titulus 2 inscribitur: de indigenis, incolis, civibus et peregrinis. Civium autem definitionem, quam Speciminis art^{us}. 96 exhibet, recte omisit Codex, quia in lege imperii rectius apponitur, quam in Codice civili. Speciminis distinctionem indigenas inter et inco-

1) Bijdragen tot regtsgel. en wetg. IV. pag. 244 et 246; VI. pag. 221—226; v. Hogendorp diss. laud. 61—93.

las *verbis* non recepit Codex. Haec enim distinctio secundum ipsum Specimen, si quam, certe exiguam habet vim, quum ipse ejus art[us]. 97 regulam ponat, indigenas et incolas, quod ad legem civilem, eadem habere jura. Dixi, *verbis* receptam non esse hanc distinctionem in Codicem civilem, *re* enim vera mansit distinctio similis. Enumerat enim primo Codex in art[o]. 5, quales sint Neerlandi; hos autem indigenas vocare posses; deinde Cod. art[us]. 8 dicit, quinam, licet Neerlandi non sint, tamen his assimilantur, et recte hos comparares cum incolis Speciminis; requiritur enim domicilium intra imperii fines positum, et similium formarum observatio quales Specimen exigit. Simplicius mihi videretur si lex duos tantum instituisset classes, quorum alter comprehenderet omnes, quibus ex Cod. art[is] 5 et 8 jura civilia tribuantur, alter, huic oppositus, peregrinos. Videamus jam, quasnam personas peregrinis opponat Specimen, i. e. quinam sint indigenae et incolae, deinde quinam in Codice peregrinis opponantur, i. e. quinam sint Neerlandi et quinam hisce assimilentur. Indigenae igitur sunt, qui ex incolis Neerlandis in imperii territorio, seu in Europa, seu extra eam nati sunt 1). Propter aequitatem juris fictione, pro indigenis habentur nati ex incolis Neerlandis, qui rei publicae causa extra imperii territorium degunt 2), vel qui nati sunt extra imperii territorium ex incolis Neerlandis, intra hoc habentibus domicilium 3). Incolas Specimen vocat eos, qui, licet alibi nati, in Neerlandia domicilium habent 4), sed, ne peregrini, sedem huc ponentes, sese propterea incolas esse contenderent,

1) Spec. art. 91.
2) Spec. art. 92.
3) Spec. art. 93.
4) Spec. art. 94.

Specimen iis, ut revera fiant incolae, onus imponit petendi et adipiscendi regis consensum ad sedes suas huc ponendas, manifestandi hunc consensum regimini municipii, quo habitare cupiunt, et ibi deinde revera habitandi 1). Et alio modo incolarum qualitatem adipiscuntur peregrini, si nempe per decennium sine interpellatione (ongestoord), palam et non interrupte regni territorium habitant 2). Quod addit Specimen, hos omnes jura incolarum retinere, quamdiu domicilium intra imperii fines servant, ut supervacaneum, omitti recte potuisset, quippe quod probe jam sequeretur e generali Spec. art[i]. 102 regula; deinde vero additio haec perniciosa est, quum ex juris regula, inclusionem unius exclusionem facere alterius, ratiocinari posset aliquis, primum art[i]. 102 casum non pertinere ad peregrinos, qui legitimo modo facti essent incolae. Statuit Spec. art[us] 101, eos, qui reipublicae causa peregrinantur, indigenarum aut incolarum jura retinere; sed et si non diserte sic cautum fuisset, idem nihilominus juris fuisset, nam (ut specialem casum art[i]. 104 mittamus) indigenarum et incolarum jura secundum Specimen non amittuntur, nisi naturalisatione acquirenda in terra peregrina, aut relinquendo Neerlandiam et domicilio transferendo in imperium peregrinum, manifesto addito consilio domicilii ibi retinendi 3). Sed si quis reipublicae causa peregre abest, propterea praesumi non debet non revertendi consilium, atque igitur de amissione jurium indigenarum vel incolarum quaestio esse nequit. Neerlandos autem Codex vocat 4):

---

1) Spec. art. 95.
2) Spec. art. 95.
3) Spec. art. 102.
4) C. art. 5.

1°. qui in regno ejusve coloniis nati sunt e parentibus, ibi domicilium habentibus. Quod Speciminis art[us]. 91 dicebat de imperii territorio in vel extra Europam, hic mutatum est, et recte; aliter pugnasset cum legis imperii anni 1815 articulo, qui regnum Neerlandum provinciarum, ibi memoratarum, finibus circumscriberet.

2°. nati ex Neerlandis peregre.

3°. qui in imperio Neerlando nati sunt licet e parentibus, in eo sedem non habentibus, dummodo ipsi domicilium ibi ponant; — hoc e Codice Napoleontico repetitum 1), in Specimine non occurrit;

4°. qui peregre nati sunt e peregrinis, regnum Neerlandum ejusve colonias habitantibus, sed reipublicae gratia, aliamve ob causam absentibus. Primo intuitu haec eodem tendere forte videntur, quo Speciminis art[orum] 92 et 93 praecepta; attamen si diligentius inspicias, Codicem latius patere apparet, quippe qui comprehendat etiam natos ex incolis, qui formas art[i]. 8 non adimpleverint, quum peregrinos Specimen incolas non prius agnovit quam formis art[i]. 95 satisfecerint.

5°. quicunque naturalisationem aut jus indigenatus acceperunt.

Feminam peregrinam Neerlando nuptam, statum mariti sequi, et Specimen 2) et Codex 3) statuunt.

Peregrinos, Neerlandis oppositos, duobus in casibus iis assimilat Codex 4), nempe: 1°. si illi, regis accepto consensu, domicilium in regnum Neerlandum posuerint, ejusque consensus certius reddiderint regimen municipale,

1) C. N. art. 9.
2) Spec. art. 100.
3) C. art. 6.
4) C. art. 8.

aut 2°. quum, posito domicilio in regni aliquod municipium, et hoc per sex annos eodem loco servato, regimini municipali consilium aperuerint imperii territorii continuo habitandi. Hoc ab illo, quod Specimen statuit, eo differt, quod tempus, ibi requisitum, decennii ad sex annos reductum sit, — quod declaratio haec apud regimen municipale secundum Specimen non requiratur, — quod secundum Specimen sufficiat eos habitasse intra imperii territorium, quum eos eodem in municipio servasse domicilium Codex requirat, — quod disertis Speciminis verbis domicilium exigatur non interpellatum, publicum et non interruptum.

§ 2. Sequitur, ut videamus, quomodo Specimen et Codex differant, quod ad amittendam qualitatem indigenae, incolae, Neerlandi. Feminam Neerlandam, peregrino nuptam, fieri peregrinam tam Specimen 1), quam Codex 2) statuit. Addit Specimen, eam, viduam factam, pristinum indigenae incolaeve statum recipere, si in Neerlandia domicilium habet, aut, eo intra annum post mariti obitum reversa, municipii, quo habitare cupit, regimen certius facit consilii ibi ponendi domicilii, idque ibi revera ponit. Jam in Codice anni 1830, uti etiam in Codice nostro ho dierno, verba haec: „si fit vidua" mutata sunt in haec: „post nuptiarum dissolutionem", quum nulla esse videretur causa idonea, uxori quod post mariti mortem concederetur privilegium, id ei denegare, si alio quodam modo dissolutum sit matrimonium. Adhuc animadvertendum est, anni tantum spatium, Specimine concessum, Codicem non amplius re-

1) Spec. art. 104.
2) C. art. 11.

quirere. Ex Codice 1) praeterea Neerlandi qualitas amittitur, si Neerlandus, nullo precedente regis consensu, militiae peregrinae sese adscribi patitur, aut munera publica, a regimine peregrino mandata, accipit. Generaliore adhuc sensu Codex anni 1830 statuebat, Neerlandi amitti qualitatem, si Neerlandus jus aliquod politicum peregrinum exercebat. Hoc vero in Codicem receptum non est, quum nimis durum videretur nudum e. g. jus electionis (stemregt) sufficere ad Neerlandi qualitatem amittendam 2).

§ 3. Restat videre, quaenam peregrinis jura tribuat Specimen, quaenam Codex. Speciminis autem generalis introductionis art$^{us.}$ 19 regulam ponit, legis civilis vim sese non extendere ad peregrinos; — haec vero regula exceptionem patitur in art^{o}. 20, qui omnes in territorio nostro degentes, inde a momento, quo hoc ingressi sunt, legibus nostris criminalibus, politiae et publici ordinis submittit, — qui omnes, hic tamquam actores aut tamquam reos litem gerentes, legibus nostris de modo procedendi subjicit, et qui formam actuum, factorum a peregrinis, ex lege eorum patria hujus rei jus habentibus, lege nostra judicandam statuit. Sequens art$^{us.}$ dicit, tam regulam, quam exceptionem, modo laudatam, valere demum, nisi specialia praecepta legis alicujus nostrae contrarium statuant. Art$^{us.}$ 22, uti etiam Spec. art$^{us.}$ 99, addit, nullum ex hoc Specimine jus peregrino competiturum esse, nisi pari in casu Neerlandus in peregrini patria idem jus haberet. Videamus jam, quid jus nostrum hodiernum hac de re statuat. Legis, generalia praecepta continentis, art$^{us.}$ 9 statuit regulam, Speciminis regulae oppositam, jus civile idem esse peregrinis, quod Neerlan-

1) C. art. 9.

2) Voorduin l. c. II. pag. 37—39.

dis, quamdiu contrarium lex non statuit. Systema enim reciprocitatis Ordinibus Generalibus non placuit, quia a legibus peregrinis dependentes nos redderet, et quia liberalius et moribus ingenioque populi nostri magis conveniens videretur, quod ad jus civile non distingui inter Neerlandos et peregrinos; — accedebat hisce spes fore, ut liberalitas nostra ipsis nostris commodis faveret et legislatoribus peregrinis similia eliceret praecepta 1). Regula juris nostri magnas tamen subit exceptiones. Codicis enim arti. 884 et 957 peregrino denegant successionem in bona Neerlandi, nisi et in quantum, hic in peregrini patria peregrino succedere possit. Hic igitur, exceptionis modo, reciprocitas illa assumitur, quae Speciminis regula erat generalis. Altera hic memoranda est exceptio Codicis nempe arti. 1218, qui statuit, vi contractus, in terra peregrina initi, nullam inscribi posse hypothecam in bona intra regnum nostrum sita, nisi per foedera contrarium esset statutum.

CAPUT IV.

DE DOMICILIO 2).

§ 1. Tertius Speciminis titulus inscribitur: „van domicilie." Placuit postea verbum hic potius usurpari Neer-

1) Geschiedenis der deliberatien van hnn Edel-Mogenden de Staten-Generaal, over het ingeleverd ontwerp van het Burgerlijk wetboek voor het koningrijk der Nederlanden, II. pag. 328—336 453, 479—482; — Voorduin l. c. I. 2. pag. 356—367.

2) Bijdragen tot regtsgeleerdheid en wetgeving, IV. pag. 246—

landum „woonplaats", attamen plures quum socii Ordinum Generalium dubitarent, num vocabulum hocce satis clare exprimeret rem significandam, dilucidationis gratia verbum „domicilie" additum est 1). Domicilium mutatur reali habitatione alio in loco, addito consilio sedes ibi tenendi principales 2); — consilium autem hoc Specimen probandum relinquit temporibus (omstandigheden); Codex vero, ad exemplum Codicis Napoleontici 3), statuit consilium illud probari declaratione facienda apud regimen municipii, a quo et in quod domicilium transfertur, et, deficiente demum hac declaratione, e temporibus 4). Domicilii mutandi consilium ne nimis leviter praesumeretur, Codex statuit ipsa vocatione ad munera publica illud non manifestari, nisi id manifesto sit significatum 5). Idem significat Specimen in casu muneris alicujus temporarii, ex quo sequitur munus, ad vitam mandatum, omnino transferre domicilium 6); — similem distinctionem faciebat Codex quoque Napoleonticus 7). Jure nostro, collato in aliquem munere publico, domicilii translatio judicanda est ex eo, num omnem familiam, omnes res suas ille transferat, num nihil relinquat, quod reditum postulare possit, et sic porro; — haec autem omnia, in muneribus ad vitam mandatis semper fere lo-

---

248; VI. pag. 240—243; van Hogendorp diss. laud. 94—114; M. C. H. Pauw diss. de domicilio sec. C. C. Neerl. — L. B. 1841.

1) Voorduin l. c. II. pag. 110—114.

2) Spec. art. 111 et C. art. 75.

3) C. N. art. 104.

4) C. art. 76.

5) C. art. 77.

6) Spec. art. 108.

7) C. N. art. 106 et 107.

cum habebunt 1). Specimen adhuc statuit temporariam villae habitationem domicilium non haberi 2); — licet peculiarem hac de re mentionem non faciat Codex, ejus art[i.] 75 et 76 quaestionem eodem in sensu dissolvere mihi videntur.

§ 2. Uxor secundum Specimen idem habet domicilium, quod maritus 3); — idem valet jure Codicis de uxore non separata thoro et mensa; nam si separatio facta est, fictio haec, opposita legislatoris voluntati, non amplius conjunctim vivere conjuges, inepte videtur perdurare 4). Minores parentum aut tutorum domicilium, curandi curatorum domicilium sequuntur 5); addit Specimen, quod si plures sunt tutores vel curatores, minorem vel curandum sequi domicilium tutoris vel curatoris primo nominati. Famuli et operarii aetate majores, apud magistros habitantes, horum domicilium sequuntur secundum Specimen 6), secundum Codicem vero in aedibus, in quibus laborant 7). Mutatio autem haec ideo facta est, quod saepius fabricatores (fabrijkanten) longe remoti habitent ab ipsis aedibus, in quibus operas praestent operarii, atque igitur minus videatur idoneum, eos fingi in domo aliqua domicilium habere, quam numquam fortasse adspexerint 8).

§ 3. Unusquisque ad rem certam aliud eligere potest domicilium, quam proprium suum 9). Statuit Codex elec-

1) Voorduin l. c. II. pag. 122—125.
2) Spec. art. 107.
3) Spec. art. 113.
4) C. art. 78.
5) Spec. art. 114 et 115, C. art. 78.
6) Spec. art. 117.
7) C. art. 79.
8) Voorduin II. pag. 126 et 127.
9) Spec. art. 109 et 110, C. art. 81.

tionem hanc esse posse generalem et tunc sese extendere ad exsecutionem, aut restrictam tali modo, qui partibus univerearum placeat. Electum domicilium mutari potest, dummodo novum in eodem situm sit municipio, et insinuetur iis, quorum interest 1), rectissime addit Codex: „nisi pactum sit de contrario", quum enim domicilium cum ordine publico cohaeret, verbis hisce non additis, locus fuisset opinioni, pactum tale pugnare cum art°. 14 legis, generalia praecepta continentis.

CAPUT V.

DE NUPTIIS 2).

Quartus Speciminis titulus in sex dividitur partes; — hisce Codex septimam addit; quae inscribitur: „de nuptiarum existentiae probatione." Incipit Specimen definiendo nuptias viri et mulieris conjunctionem, natura nixam, et jure civili confirmatam, cujus finis est vivendi semper arctissima in communione 3). Objectio, omnem in jure civili definitionem periculosam esse, et recte quidem libro de juris doctrina, non vero legi apponi, etiam hoc loco in Ordinibus Generalibus agitata est.

1) Spec. art. 112. C. art. 82.

2) L. Asser diss. de matrimonio secundum novum Codicem Belgicum. L. B. 1823 pag. 1—35; regtsgeleerd. bijdragen IV. pag. 248—265; VI. pag. 683—710.

3) Spec. art. 120.

Definitio igitur in Codice omissa est, et hujus loco generale factum est praeceptum, legem nuptias considerare tantum quod ad civiles earum relationes. Multi praeceptum tale superfluum dixerunt, quippe per se jam profluens ex juris nostri principiis; — non vero equidem illud affirmare auderem. Art[us]. enim noster 1) principium ponit plane diversum a pristinis juribus et moribus patriis, — inveterata est plurium simplicium hominum opinio, nuptias, ut rem aliquam religiosam, celebrari non posse nisi in ecclesia, nec quidquam habere commune cum jure civili, neque igitur absre esse videtur magnum tale juris nostri principium disertis verbis enuntiari 2).

SECTIO I.

De his, quae requiruntur ad nuptias ineundas.

§ 1. Statuit Specimen eum, qui propter insaniam obligationem contrahere nequit, nec nuptias inire posse, ne consentientibus quidem parentibus tutoribusve 3); hujus autem praecepti vis nimis restricta visa est Ordinibus Generalibus, quum multos casus, quos comprehendere deberet, non contineret, — et longe praeferendum puto juris nostri praeceptum, ad nuptiarum essentialia pertinere liberum futurarum conjugum consensum 4). Quod

1) C. art. 83.

2) Voorduin l. c. II. pag. 138—140; Mr. J. H. Sassen, proeve van een beredeneerd overzigt van het burgerlijk wetboek voor het koningrijk der Nederlanden: pag. 75 et 76.

3) Spec. art. 122.

4) C. art. 85; — Sassen: l. c. pag. 80—90.

ad nuptiarum prohibitionem propter consanguinitatem et affinitatem fere conveniunt Specimen et Codex; discrimen est animadvertendum in linea collaterali inaequali; hic Codex prohibet nuptias tantum cum patris matrisve, avi aviaeve fratre aut sorore, quum Specimen, ulterius progressum, nuptias interdicit cum majorum fratribus et sororibus; — dicendum tamen est, rarissimis tantum in casibus latiorem hanc Speciminis prohibitionem effectum esse habituram 1). Qui judicis sententia convicti sunt adulterii mutui, numquam invicem matrimonium inire possunt 2); addit Specimen, hoc ne fieri quidem posse, defunctis conjugibus superioribus, quod tamen abundat, neque igitur in Codice repetitum est. Haec fortasse fuit causa, cur illud adderet Specimen, quo melius pateret differentia cum C. N. art°. 289, qui adulteri matrimonium cum adultera tunc demum prohibe, quum adulterii causa nuptiae priores divortio sint dissolutae. — Illi, quorum nuptiae divortio sunt dissolutae, hasce invicem renovare non possunt 3); legislator noster sic verba ipsa Speciminis usurpans, certe non cogitavit se novum constituisse modum matrimonii dissolvendi, qui nempe locum habet, si conjuges, quinquennio elapso post separationem thori et mensae, nuptiarum dissolutionem petunt 4), atque inde sequitur prohibitionem hoc casu, licet fortasse contra legislatoris mentem et consilium, nullam esse. Eodem loco nuptias plane interdicit Specimen conjugi, contra quem pronuntiatum est divortium,

1) Spec. art. 126; C. art. 88.

2) Spec. art. 127; C. art. 89, Ned. jaarb. voor regtsgeleerdheid en wetgeving. III. pag. 631.

3) Spec. art. 128; C. art. 90.

4) C. art. 254. sqq.

imo licet conjux superior mortuus sit; hanc vero prohibitionem, satis duram interdum, inhonestae vitae faventem, Codex non assumsit 1). Aliam ad huc continet nuptiarum prohibitionem Specimen, quod nempe viduis, minores habentibus liberos, novas interdicit nuptias, antequam secundum art$^{orum.}$ 411—416 praecepta, rationes reddiderint eorum, quae iis exhereditate praemortui parentis debeantur. Utilis certe prohibitio haec nec pristino jure patrio incognita erat 2). — Sic quoque sequens Speciminis art$^{us.}$ (131) eos, qui sunt aut fuerunt tutores, eorumque liberos, nepotes et neptes nuptias contrahere prohibet hiscum, qui sunt aut fuere pupilli, nisi redditis rationibus et solutis debitis. Dubitant viri docti 3), num veteri jure Hollandico idem valeret; hoc tamen in urbe Groningana juris fuisse affirmat ampl. v. Hamelsveld l. c. pag. 71. Similis prohibitio jure quoque Romano recepta erat 4).

§ 2. Quod ad requirendum parentum consensum attinet, Specimen distinguit liberos minores 22 annis, qui non prius inierunt matrimonium, et liberos hac aetate majores, aut qui nuptias jam prius contraxerunt; — Codex vero distinguit liberos, qui annum aetatis 23 impleverunt, vel minores aetate, — liberos majores aetate, qui

---

1) Voorduin, l. c. pag. 150; Mr. W. B. Donker Curtius: vrijmoedige aanmerkingen op het ontwerp van burgerlijk wetboek, pag. 18 en 19; — Mr. Y. W. van Hamelsveld, l. c. pag. 68.

2) H. de Groot inleijdinge tot de Hollandtsche regtsgeleertheijt, I. 9. 6; — J. Voet ad tit. D. de ritu nuptiarum. § 100; ordonnantie op de weeskamer te Haarlem van 26 Mei 1753, art. 4; — Spec. art. 130.

3) Voet ad tit. D. de ritu nuptiarum § 25; Bijnkershoek quaestiones juris privati, L. II. cp. 3. p. 219.

4) Lex 66 D. de ritu nuptiarum, lex 7. C. de interd. matrim.

tamen aetatis annum 30 nondum impleverunt, — et liberos, qui 30 annos nati sunt. Regulam generalem ponit Specimen 1), liberos legitimos vel legitimatos indigere consensu parentum, vel, horum altero defuncto, alterius, a qua tamen regula aliquando discessit ad hunc modum. Liberis infra aetatis annum 22 consensum recusare possunt parentes, sine significatione causae, quare recusarent, nisi, patre consentiente, mater consensum dare recuset, quo casu judici pronuntiandum est; — judex item de parentum recusatione pronuntiare tenetur, si ad poenam infamantem hi condemnati sunt 2). Convenit illud cum pristino jure patrio 3), quod dissentientibus parentibus, magistratum partes interponere jubet, et longe certe praestat Codicis nostri praecepto, quod quidem liberos jubet amborum parentum consensum petere, attamen, matre recusante, unice requirit, patrem declarare, liberos matris consensum petiisse 4). — Liberi aetatis annum 22 egressi, qui nuptias non prius contraxerunt, parentes in jus vocare possunt ad dandum consensum aut causas idoneas proferendas; — parentibus eo uon venientibus, aut causis a judice declaratis non idoneis, liberi matrimonium inire possunt 5). Vituperandus hic mihi videtur legislator, quod sibi non constitit. In art°. 580 enim minores aetate declarat Specimen eos, qui annum 24 nondum impleverunt; — jam iisdem hisce quos lex existimet inhabiles ad negotia gerenda, eadem lex indulget matri-

---

1) Spec. art. 132.

2) Spec. art. 133.

3) Voet ad tit. D. de ritu nuptiarum § 13; stadregt van Zwolle III. 1. 7; v. Hamelsveld l. c. pag. 76.

4) C. art. 92.

5) Spec. art. 134 et 136.

monium sua sola voluntate, atque inde majores aetate fieri dummodo nulla art[i]. 135 ratio obsit. Quum majorennes declaret legislator illos, qui annos 24 nati sunt, consensum parentum requirere debuisset omnimodo usque ad eandem minimum aetatem; — idque recte observavit legislator noster. — Causae, ob quas parentes consensum recusare possunt secundum Specimen 1), sunt sequentes: 1°. si mulier, quacum filius nuptias contrahere vult, nothum peperit, cujus is pater esse non agnoscit; — 2°. si persona, quacum filius filiare matrimonium inire cupit infamis declarata aut in catasta punita est; — 3°. si contra personam illam ob criminis accusationem apprehensio vel citatio personalis concessa est, et lis adhuc pendet; — 4°. si illius res declaratae sunt esse non solvendo, aut illa bonis cessit; — 5°. si persona illa, quam libet ob causam, sub cura est; — 6°. si propter utriusque inopiam nil nisi damnum praevideri potest; — 7°. si parentes, unusve eorum, a persona, quacum filius filiave nuptias contrahere vult, aut factis vexati, aut verbis scriptove graviter insultati sunt. — Multa illorum secundum Codicem aliter sese habent. Liberi legitimi infra aetatem 23 annorum indigent consensu parentum, aut unius patris, matre non consentiente, quo casu pater, aut in acto, quo ipse dat consensum, aut coram status civilis officiali, declarare tenetur matris consensum rogatum esse; — patre deficiente, matris consensus requiritur 2). Deficientibus parentibus, liberis opus est consensu avi paterni, — hoc deficiente, avi materni, — hoc item deficiente, aviae paternae, — hac quoque deficiente, aviae maternae 3). Majorum hic consensus ad

1) Spec. art. 135.

2) C. art. 92.

3) C. art. 93 et 94.

exemplum Codicis Napoleontici 1) requiritur, secus ac jure Speciminis, neque omnino hoc loco jus nostrum improbo, merito enim suspicari possumus, avos aviasque semper quam maxime eo tensuros esse, ut nepotum neptiumque commodis prospiciant, illosque pro vinculo arctissimo consanguinitatis optime posse judicare, num hae illaeve nuptiae hisce profuturae sint. Deinde ideo majorum consensum praefero, quia, si tutorum requiritur consensus, illi habeant potestatem tutelae pro lubito retinendae vel solvendae. Liberos majores aetate, qui tamen aetatis annum 30 nondum impleverunt, Codex requirit petere consensum parentum; quibus recusantibus, permittit illos invocare judicem cantonnalem, quo facto ceterisque legis praeceptis observatis, nuptiae recte celebrantur 2). Neque ulla de causis recusationis quaestio hic est; — unice requiritur judicem invocari, non vero eum judicare, i. e. eum aut permittere nuptias, aut illas recusare. Specimen distinguit causas idoneas at non idoneas judicemque decernere jubet; — antiquum etiam jus patrium hic illic recusationis causarum cognitionem magistratui mandabat 3). Si autem causas recusandi accurate describas, hoc Codicis nostri praeceptis praeferrem; non enim pauci sunt majorennes, qui non statim tam firmo ac stabili sunt animo, qui pro juvenili aetate tam caeci sunt amore, ut de nuptiis ineundis tam prudenter judicent, ac rei gravitas postulet. Nimis tamen late procedere mihi videtur Specimen, quod aetatem maturiorem non ponat, qua impleta, consensus parentum non am-

1) C. N. art. 150.

2) C. art. 99—103; Ned. jaarb. III. pag. 632 et 633.

3) De Groot l. c. I. 5. § 15; — politieke ordonnantie van Holland, art. 3; — politieke ordonnantie van Zeeland, art. 7 et 8, — landregt van Overijssel II. 1. 5.

plius requiratur. Talem autem finem posuit Codex impletum aetatis annum tricesimum.

Parentibus, avis aviisque deficientibus, minorennes ex Codice indigent consensu tutoris et tutoris subrogati; — utroque unove recusante, pupillus invocare potest judicem cantonnalem, qui auditis vel advocatis tutore, tutore subrogato et cognatis affinibusve aetate majoribus proximis, his, qui ingradu sunt quarto, inclusis, Neerlandiae incolis, — salva appellatione ad tribunal, petitum concedat aut recuset 1). Ad nuptias eorum, qui sub tutela sunt Specimen requirit consensum eorum, qui tutelam exercent personalem tempore nuptiarum denuntiationis 2). Addit Specimen pupillos hosce idem habere jus contra tutores, quale majores aetate contra parentes. Jus autem illud in eo consistit, pupillos, tutoribus recusantibus, consensum petere posse a judice, qui hunc dabit, nisi una ex sex prioribus causis arti. 135 obstet 3). Animadverte denuo legislatorem sibi non constare, quum non tantum majores aetate jus illud erga parentes habeant, sed jam hi, qui aetatis annum 22 impleverint; neque hujus erroris causa latet. Specimen enim originale anni 1816 majores aetate declarabat 23 annos natos, et in requirendo ad nuptias consensu discernebat inter majores et minores aetate; ibi igitur rectissime sese habet artus. 152, conveniens Speciminis anni 1820 arto. 140; — qui vero Specimen anni 1816 mutarunt, illum articulum describentes non cogitavere, quid in majoris aetatis anno caet. mutarent. Illud Speciminis discrimen cum Codice notandum est, judicem inquirere debere secun-

1) C. art. 95 et 96.

2) Spec. art. 140.

3) Spec. art. 141.

dum illud, num una ex sex prioribus art. 135 causis adsit, hunc (Codicem) vero de certis causis idoneis recusandi nihil prorsus statuere; — quod supra jam monui, et huc pertinet, melius me putare facturum fuisse legislatorem nostrum si causas idoneas expresse descripsisset. Consensum, a parentibus tutoribusve datum, retrahi Specimen non permittit, nisi una ex causis sub art[i]. 135 n[is] 1, 2, 3, 7, postea detecta sit vel supervenerit 1). Quod statuit Specimen aetate minores orbos, qui casu quodam sub tutela non sunt, nuptias inire non posse, nisi permisso accepto tribunalis municipii, quo supremo habitavit parentum supervivens 2), — Codex omisit, fortasse quod putaret casum non dabilem. Ad nuptias aetate majorum orborum, qui sub cura sunt, ineundas, Specimen requirit permissum judicis, qui curam concessit; — ad factam permissi petitionem curator audiendus est 3). Codex de requisito ad curandorum nuptias consensu minus recte agit in loco de cura 4), — et ad exemplum pristini juris nostri 5) et Codicis Napoleontici, regno Hollandiae accommodati 6), requirit consensum curatoris et curatoris subrogati pari ratione, quae in tutela obtinet. Hoc autem minus quam Speciminis praeceptum mihi placet; — ipse judex judicet, num is, quem inhabilem censuerit ad negotia sua gerenda, ad nuptias ineundas admittendus sit 7). Si parentes unusve eorum ob defectum sanae mentis prohibentur, quominus sese de

1) Spec. art. 142.
2) Spec. art. 144.
3) Spec. art. 143.
4) C. art. 506.
5) De Groot l. c. I. 11. § 5.
6) C. L. N. art. 118.
7) Van Hamelsveld l. c. p. 83 et 84.

consensu in nuptias liberorum declarent secundum Specimen idem obtinet, ac si mortui essent 1); — hoc autem ita a Codicis jure differt, quod hic curandi liberis minorennibus postulet consensum curatoris et curatoris subrogati eodem modo, qui in tutela obtinet 2). Deinde statuit Specimen, quodsi parentes unusve eorum absunt, ita ut eorum consensns verisimiliter non intra breve tempus rogari aut accipi possit, judicem tunc conscnsum dare posse; majorennes vero liberos parentum consensu non indigere, si hi extra imperii territorium habitent 3).

§ 3. Haec autem omnia de liberis legitimis dicta sunt. Quid juris sit de naturalibus, jam videamus. Ex Specimine autem liberi naturales matris consensu indigent 4); patris consensus non requiritur. Reliqua Speciminis de consensu parentum in liberorum legitimorum nuptias praecepta etiam in liberos natura les applicandae sunt, in quantum hoc fieri potest. Haec jure Codicis aliter sese habent. Secundum hunc enim liberi naturales, minorennes, a patre agniti, ut nuptias inire possint, indigent consensu patris, vel hoc deficiente, matris 5). Utriusque simul consensus non requiritur, quum inhonestum videatur legem requirere conventionem personarum, quae non matrimonii vinculo sacro, sed commercio pristino illicito junctae sint, et fortasse ipso hoc tempore cum aliis contractas nuptias habeant 6). Liberi naturales, minores aetate, non agniti, aut qui post agnitionem parentes amiserunt aut quo-

1) Spec. art. 137.
2) C. art. 514.
3) Spec. art. 138, et C. art. 552—554.
4) Spec. art. 132.
5) C. art. 97.
6) Voorduin l. c. II. pag. 181 et 182.

rum parentes voluntatem declarare nequeunt, ut nuptias inire possint, indigent tutoris et tutoris subrogati consensu; utroque unove recusante, idem jus habent, quod liberis legitimis concessum est, et quaecunque hac de re agunt, et huc pertinent, exceptis, quae de liberorum naturalium cognatis dictum est 1). De liberis naturalibus aetate majoribus eadem valent, quae de legitimis valere vidimus 2).

SECTIO II.

De his, quae nuptiarum celebrationi praecedere debent.

§ 1. Quicunque matrimonium inire cupiunt de nuntiare id debent status civilis officiali domicilii unius partium et quidem secundum Specimen aut in propria persona aut per procuratorem 3), secundum Codicem vero aut in persona aut per scripta, quae futurorum conjugum consilium satis demonstrant 4). Talem autem denuntiationem fieri Specimen vetat ab his, qui invicem nuptias inire non aut nondum possunt 5). — Superfluum mihi videtur Speciminis praeceptum, quod statuit nullas esse denuntiationes, per errorem, ignorantiam aliumve casum acceptas, eorum, quorum nuptiae adversarentur art[is.] 121, 122, 124, 125, 126, 127 et 128; magis etiam, licet denuntiationes tales non per errorem, igno-

1) C. art. 97 et 98.
2) C. art. 99—104.
3) Spec. art. 146.
4) C. art. 105 et 106.
5) Spec. art. 147.

rantiam aliumve casum sed prudenter (voorbedachtelijk) acceptae essent, nihilominus nullae essent 1).

Ad exemplum pristini juris patrii, quod ex sponsalibus actionem dabat ad nuptias perficiendas 2), — Statuit specimen anni 1816 ex accepta denuntiatione partibus oriri jus postulandae nuptiarum perfectionis, aut resarcitionis impensarum damni et usurae 3). Tale quid nec Specimen anni 1820, neque Codex adsumsit, et recte; licet enim cum stricti juris principiis conveniat, partem alteram, invita altera, recedere a pacto contracto, — minus idoneum, immo in honestum videtur, aliquem cogi ad vitam vivendam conjunctam cum persona, quacum ille vivere nolit 4). Ad matrimonium ineundum cogi igitur nemo potest 5); addit tamen Specimen factam denuntiationem partibus jus tribuere petendae resarcitionis damni realis, hac recusatione nati, — similiter secundum Codicem 6), facta denuntiatione et secuta promulgatione, oritur jus petendae resarcitionis damni, ex recusatione emergentis, minime vero lucri cessantis, attamen actio haec institui non amplius potest, elapsis 18 mensibus post primam promulgationem. — Ante nuptiarum celebrationem status civilis officialis diebus dominicis facere debet promulgationes, et quidem secundum Codicem per duos 7), secundum Specimen per tres sequentes

1) Spec. art. 154, W. B. Curtius l. c. pag. 30.

2) Voet ad tit. D. de sponsalibus, § 12; — van Leeuwen, censura forensis, I. 11. 26.

3) Spec. anni 1816 art. 160; Ned. jaarb. III. pag. 637 et 638.

4) Voorduin l. c. II. pag. 205. sqq.

5) Spec. art. 145 et 148.

6) C. art. 113.

7) C. art. 107.

dies dominicos 1). Numerus hic trium promulgationum et antiquo jure nostro plerumque receptus erat 2). Praeter ceteras, promulgationes fieri etiam debent in municipio, quod partes unave earum habitarunt intra tempus sex mensium secundum Codicem anni secundum Specimen 3). Dispensationis dandae a promulgatione secunda potestatem Codex facit regi, aut magistratui cui ille hanc rem mandabit 4); — ex Specimine vero regimen municipale permittere potest, duas promulgationes fieri eodem die dominico, immo tres uno eodemque die, qui dominicus ut sit, necesse non est 5). Hoc quoque, Specimen non permittere, promulgationem alteram omitti, attamen concedere, plures eodem die fieri, patrio juri antiquo convenit. Quum tamen lex publicitatem fundamentum posuerit nuptiarum, idoneum non puto illud omne turbari permitti dispensatione introducenda 6).

§ 2. Denuntiationis obligatio secundum Specimen cadit, i. e. jus damni resarcitionis postulandae perimitur 7): 1°. Si denuntiatio locum habuit sine libero partium consensu, aut per errorem in aut erga personam; — 2°. ob dolum et fraudem ab una parte in alteram commissum in denuntiandis rebus, fortuna, relationibus; — 3°. ob partis malum vitae habitum, postea ortum aut detectum; — 4°. quod si partium altera novam fecerit nuptia-

1) Spec. art. 149.

2) De Groot I. 5. § 16; — politieke ordonnantie van Holland, art. 3, die van Zeeland art. 7; — Geldersche echtordonnantie art. 5; — landregt van Overijssel II. 1. 4; III. 1: 5.

3) C. art. 109; Spec. art. 152.

4) C. art. 111.

5) Spec. art. 153.

6) W. B. Donker Curtius, l. c. pag. 33.

7) Spec. art. 157.

rum denuntiationem, antequam prior exstincta sit. De denuntionis obligatione jure nostro quaestio esse nequit, nam sola denuntiatio non obligat, sed, demum accedente promulgatione, ex illa actio damni resarciendi oriri potest, atque ad hunc casum ordinariae contractus regulae applicandae sunt. Adjicit Specimen 1), denuntiationem omnesque ejus sequelas et effectus cadere: 1°. partium renuntiatione, scripto manifestata, — partium alterius morte aut cura; — his casibus item jure nostro denuntiationem cadere perspicuum est; — 2°. alterius partium nuptiis cum extranea persona contractis; — hoc autem casu damni resarcitionis jus cadere durissimum mihi videtur; sic enim hanc actionem evitare unusquisque potest, dummodo, pacto spreto, novum statim celebret matrimonium 2); — 3°. anno praeterlapso, seu post denuntiationem, si promulgatio locum non habuit, seu post unam pluresve promulgationes, si posteriores promulgationes requisitae aut nuptiae secutae non sunt; medium tamen tempus inter factam intercessionem et momentum, quo hac de re data sententia in rem judicatam abiit, non computatur; sic quoque Codex noster 3) statuit nuptias perfici non posse, anno post primam promulgationem praeterlapso.

SECTIO III.

De intercessione promulgationibus et nuptiis facta.

§ 1. Distinguit Specimen inter intercessionem promulgationibus et intercessionem nuptiis factam; — Codex

1) Spec. art. 158.

2) W. B. Donker Curtius, l. c. pag. 27 et 28.

3) C. art. 112.

postremam tantum nominat; res tamen eodem redit, utroque casu nuptiae prohibentur 1). Quod deinde discrimen facit Specimen inter casus, in quibus promulgationibus, et casus, in quibus nuptiis intercessio fieri possit, vituperandum puto; — aut enim alicui jus intercedendi concedi debet aut non debet, — sed causa non est idonea, cur modo daretur, modo recusaretur 2).

§ 2. Si alter conjugum, quorum nuptiae non sunt dissolutae, novarum nuptiarum fecit denuntiationem, intercessionem Specimen 3) concedit conjugi alteri, cognatis in linea adscendenti et descendenti, fratribus, sororibus, patruis, patruis magnis, avunculis, avunculis magnis, amitis, amitis magnis, materteris, materteris magnis, — qui cognati sunt per natalia legitima, vel legitimationem, aut a matre per natalia illegitima cognati. Eodem hoc casu secundum Codicem nuptiis intercedere possunt prior conjux, liberi ex nuptiis prioribus nati 4), pater, aut, hoc deficiente mater, — hac quoque deficiente, avi vel aviae secundum ordinem, art^is^. 93 et 94 constitutum 5), — his deficientibus, fratres, sorores, patrui, avunculi, amitae, materterae, tutor, tutor subrogatus, curator, curator subrogatus 6). Apparet igitur, Specimen quod adcognatos latius patere, Codicem vero addere tutores et curatores; — generaliter dicendum est, in casu proposito, jus intercessionis faciendae nimis late patere non posse; melius enim est, bigamiae crimen, prohiberi, ne committatur, quam commissum puniri.

1) Voorduin, l. c. II. pag. 211.
2) Spec. art. 172, et Donker Curtius, l. c. pag. 39.
3) Spec. art. 160.
4) C. art. 115.
5) C. art. 116. sub 4to., et art. 117; Ned. jaarb. III. pag. 630.
6) C. art. 118.

§ 3. Partium cognati, in Speciminis art[i]. 160 al[a]. 2[a]. memorati, ex Specimine jus quoque habent intercessionis faciendae, si sognati orbi et minores aetate, nec tamen tutores habentes, nuptias contracturi, non accepere judicis permissum, — atque etiam si cognati, seu minores seu majores aetate, denuntiarunt nuptias hiscum, qui eorum snnt aut fuerunt tutores, aut cum horum liberis; nepotibus, neptibusve, nisi praecesserit rationum redditio et debiti solutio 1). Quum horum, secundum Speciminis art[os.] 144 et 131 requisitorum, nihil requirat Codex, clarum est eum nec mentionem intercessionis hoc loco facere posse. — Idem dicendum est de casu sequenti; — quodsi viduus viduave, minores ex priore matrimonio habens liberos, novas contrahere velit nuptias, antequam Spec. art[is.] 411—416 satisfecerit, jus intercessionis Specimen concedit conjugis praemortui secundum art[i]. 160 modos cognatis, aut tutoribus, si quos jam habent liberi illi 2).

§ 4. Nuptiis secundum Codicem adhuc intercessionem facere possunt pater, vel, hoc deficiente, mater, — his deficientibus, avi aut aviae, — his deficientibus, fratres, sorores, patrui, avunculi, amitae, materterae, tutor, tutor subrogatus, curator, curator subrogatus 3).

1°. Si altera partium ob insaniam sub eura est, ejusve cura petita est et lis adhuc pendet; — ulterius adhuc procedit Specimen 4), quod partium cognatis, in art°. 160 al. 2. memoratis, jus intercessionis concedit, si cognati majorennes, neque parentes, neque curatores ha-

1) Spec. art 163. n°. 2 et 4.

2) Spec. art. 164 et 130.

3) C. art. 116. n°. 3—6, 117, 118. n°. 2.

4) Spec. art. 163. n°. 3.

bentes, ob sanae mentes defectum inhabiles sunt ad matrimonium ineundum.

2o. Si altera partium non possidet requisita, quae ex prima hujus tituli parte ad nuptias ineundas exiguntur; generalem talem regulam, quae simplicitati favet, Specimen desiderat; —

3o. Si altera pars criminis accusata est, aut condemnata ad poenam infamantem. Prius hoc praeceptum fortasse vituperabit aliquis, dicendo, sic aliquantum puniri aliquem ob nudam praesumtionem, — et juris hanc esse certissimam regulam, unum quemque bonum haberi, donec malus probatus sit; — quum tamen Codex inter divortii causas numeret etiam condemnationem ad poenam infamantem, post factas nuptias pronuntiatam, recte puto sibi convenire et prudentissimae statuisse legislatorem, differendo saltem nuptias, quae contractae, et condemnatione deinde secuta, fortasse dissolvendae fuissent; —

4o. Si requisitae promulgationes locum non habuerunt; — nuptiarum annullatio eandem ob causam non admittitur 1); — inversa ratione procedit Specimen; denegat enim jus intercedendi, admittit vero nuptiarum annullationem, si promulgationes rite peractae non sunt 2). Praecepta illa Codicis praeferenda censeo, quum aliter promulgationum requisitum nudum fiat praeceptum; nuptias vero, jam contractas, nisi alia adsit causa, ob promulgationum defectum non dissolvendas esse puto, nimis leviter enim ad annullationem procedendum non est.

Adhuc secundum Codicem pater vel, hoc deficiente,

1) C. art. 154.

2) Spec. art. 202. no. 2.

mater, vel hac quoque deficiente, avi vel aviae nuptiis intercedere possunt, si alteruter ob vitam prodigam sub cura est, metusque est, ne nuptiae filium, filiam, nepotem, neptem infelicem reddant 1).

§ 5. Tam secundum Codicem quam secundum Specimen maritus et reliquae personae, ibi memoratae intercedere possunt novis uxoris nuptiis, ante tempus statutum ineundis 2); cum hoc tamen discrimine reliquas illas personas secundum Specimen intercessionem facere non posse, nisi deficiente marito, quod vituperandum puto, quum iniquissimum et inhonestissimum videatur, sic mariti silentium nocere posse natalibus ejus, qui in utero est.

Specimen intercessionem quoque admittit, ob priorem et adhuc existentem denuntiationem, fieri ab illo, quocum hac perfectae essent, et quidem eo usque, quod ei facta fuerit resarcitio damni, ex recusatione emergentis 3). Tale quid Codex non statuit; intercessio igitur non admittetur, licet actio, modo memorata, salva maneat, idque recte; hac enim ratione aliquantulum recessit Specimen a principio suo, denuntiationem non habere vim alicujus ab aliis ineundis nuptiis prohibendi.

§ 6. Ministerium publicum quoque sese secundum Codicem opponere potest nuptiis 4) — ejus, qui adhuc aliis nuptiis junctus est, — ejus, qui consensum liberum non dedit, — ejus, qui aetatem, ad nuptias ineundas requisitam, nondum nactus est, eorum, qui cognationis vel af-

1) C. art. 116. n°. 7. 117.

2) C. art. 119, 116 n°. 4, 117 et 118; Spec. art. 165.

3) Spec. art. 166.

4) C. art. 120.

finitatis ratione a matrimonio prohibentur, eorum, — qui judicis sententia mutui adulterii convicti sunt, — eorum, quorum nuptiae divortio solutae sunt, — ejus, quae novum matrimonium inire vult ante 300 dies praeterlapsos. Idem statuit Specimen 1), hoc tamen cum discrimine, quod profluit ex ejus art° 122, strictiore sensu scripto, quam C. art. 85 pateat; — addit praeterea Specimen et alios casus, in quibus intercessionem facere ministerium publicum permittit, nimirum: si conjux, contra quem divortium proclamatum est, novas contrahere vult nuptias, — si viduus viduave, minores habens liberos, novum inire vult matrimonium, ante quam art[is] 411—416 satisfecit, — si tutores, aut qui tutores fuerunt, eorumve liberi aut nepotes nuptias contrahere volunt cum iis, qui eorum sunt aut fuerunt pupilli, antequam rationes sunt redditae, debitaque soluta, — si judicis permissum, ad nuptias ineundas necessarium, non est rogatum et impetratum.

§ 7. Qui intercessionem fecerunt, hac a judice sublata, ad damni resarcitionem condemnari possunt; ab hac vero regula tam Specimen quam Codex quosdam excipit; — haec autem regula in eo latius patet jure Codicis, quod hic etiam descendentes excipiat 2).

Novi adhuc aliquid Codex continet. Status enim civilis officialem vetat ad nuptiarum perfectionem procedere, sub poena damni resarciendi, antequam ei oblata sit sententia, quae in rem judicatam abiit, aut actum authenticum, quo sublata sit intercessio; si, pendente adhuc intercessione, nuptiae perfectae sunt, annullabuntur, si intercedenti intentio addicta erit 3). Quod ad damni re-

1) Spec. art. 168—170.
2) Spec. art. 174 et C. art. 124.
3) C. art. 125.

sarciendi obligationem similiter etiam Specimen statuit in loco de actis et tabulis status civilis 1). Recte, quod ad nuptiarum annullationem, distinguit Codex, num intercedenti intentio addicatur an interdicatur; nimis durum enim esset, si quovis casu annullarentur nuptiae.

SECTIO IV.

De nuptiis perficiendis.

§ 1. Enumerat Codex documenta quaedam, quae ut sibi porrigantur, status civilis officialis exigere debet, antequam ad nuptias perficiendas procedat 2). Licet implicite quidem Specimen similia requirat 3), specialis mentio, qualem Codex continet, utilis esse potest. Inter documenta illa memorantur actum natalicium conjugis futuri et acta obitus eorum, quorum consensus requireretur; actorum illorum defectui, ad exemplum Codicis Napoleontici, Codex noster succurrit 4), simpliciorem demonstrans viam, quam ingressi, futuri conjuges evitare possunt difficiliorem modum agendi ad acta status civilis supplenda 5). An recte futuro conjugi Codex permiserit, ut ejus ipsius jurejurando actorum memoratorum defectui suppleret, vehementer dubito. — Quodsi status civilis officialis, documenta et declarationes non sufficere contendens, recuset nuptias copulari, quid fieri debeat, dubium relinquit tam Codex Napoleonticus, quam Spe-

1) Spec. art. 847.
2) C. art. 126.
3) Spec. art. 845—847.
4) C. art. 127 et 128.
5) Sassen, l. c. pag. 148—153.

cimen auni 1820; — rectissime statuit Codex noster 1), libello supplice partes adire tunc posse tribunal, quod, audito ministerio publico et, si res postulat, status civilis officiali, rem judicabit, nullo jure appellandi remanente.

§ 2. Nuptiae contrahuntur coram et a status civilis officiali. Specimen autem statuit, summum regimen huic solemnitati generalem praescribere posse formulam, hic quoque ante oculos habebant Speciminis ordinatores pristinos mores patrios 2). — Nuptiarum celebrationi adesse testes Specimen requirit duos, mares, majorennes 3), Codex vero quatuor mares, majorennes et praeterea Neerlandiae incolas 4). Nuptiae celebrantur publice in curia municipali; excipiuntur tamen nuptiae, in extremis dictae. Accuratius autem Specimen 5) dicit: „nuptias celebrari „posse in domo privata, januis clausis," quam Codex 6), qui tantum dicit: „in domo privata;" — nunc enim, licet fortasse a legislatoris mente alienum sit, contendi potest ex ipsis legis verbis, domum hanc omnibus patefactam esse debere 7). Numerus testium, nuptiis hisce in extremis requisitus, secundum Specimen est quatuor, secundum Codicem est sex. — Nuptias quoque per procuratorem, exceptionis modo, Specimen et Codex permittunt 8); dispensatio vero impetranda est secundum illud

1) C. art. 129, Sassen, l. c. pag. 153 et 154; Mr. C. Asser: het Nederl. burgerl. wetb. vergeleken met het wetb. Napoleon. pag. 52.

2) v. Hamelsveld, l. c. pag. 106—108 et scriptores ibi citati.

3) Spec. art. 176.

4) C. art. 131.

5) Spec. art. 179.

6) C. art. 132; Ned. jaarb. III. pag. 628.

7) Sassen l. c. pag. 157 et Mr. A. de Pinto: handleiding tot het burgerl. wetboek II. pag. 72 et 73.

8) Spec. art. 177 et C. art. 134.

ab officiali status civilis, secundum hoc a rege; Codicis autem praeceptum ideo magis mihi placet, quod nuptiae hae leviter permittendae non sunt, quippe periculosae et ex quibus damna magna et incommoda oriri possint. Recte addit Codex, nuptias, per procuratorem contractas, nullas haberi, quodsi mandans prius cum alia persona matrimonium inierit 1); licet enim stricti juris principia contrarium postulent, aequitati convenit Codicis praeceptum 2). Sic Specimen statuit nuptias, per procuratorem contractas, nullas haberi, si postea patet, mandantem obiisse ante nuptiarum celebrationem 3); et omnino dolendum est, Codicem casum huncce non decrevisse.

Hunc locum Codex terminat 4) statuendo, in casu contraventionis hujus tituli praeceptis ab officialibus status civilis, hos, nisi Codex poenalis huic rei providerit, a tribunale condemnari posse in mulctam centum florenorum, salva actione damni resarciendi.

SECTIO V.

De nuptiis extra imperii territorium perficiendis.

Nuptiae inter Neerlandos, aut inter Neerlandos et peregrinos, contractae in terra peregrina, ut valeant, Codex requirit, formam ibi usitatam observatam esse, promulgationes in Neerlandiae locis requisitis rite peractas

1) C. art. 134.
2) Asser l. c. pag. 53—55.
3) Spec. art. 177.
4) C. art. 137.

esse sine intercessione, neque conjuges egisse contra primae hujus tituli partis praecepta 1). Haec igitur si observata non sunt nuptiae sunt nullae, atque igitur promulgationum omissioni major vis hic tribuitur, quam generaliter solet 2). Specimen vero jubet quidem incolas inter se, aut cum peregrinis in terra peregrina nuptias contracturos, curare debere promulgationes fieri solitis Belgiae locis 3), — sed quum addat nuptias illas hujus tituli praeceptis quod ad promulgationes et internam legitimitatem attinet, obstrictas esse, si conjuges intra annum post eorum discessum revertantur, inde sequitur, quodsi conjuges, demum anno praeterlapso, revertantur, eorum nuptias validas haberi, etsi haec omnia observata non sunt, — quod improbandum mihi videtur, quia sic via demonstratur, qua in fraudem legis agi possit 4).

Codex denique praecipit conjuges intra annum, postquam redierint, matrimonii instrumentum in tabulas status civilis eorum domicilii transcribi curare debere 5). Quod si tamen hoc neglexerint conjuges, non puto ideo nullas fieri nuptias, quum lex hanc non sanxit poenam 6).

---

1) C. art. 138.
2) Voorduin l. c. II. p. 200, 271 et 272; de Pinto l. c. II. p. 74 et 75.
3) Spec. art. 182—187.
4) Spec. art. 188.
5) C. art. 139.
6) De Pinto, l. c. II. pag. 75. C. art. 146.

SECTIO VI.

De nuptiis adversus legis praecepta contractis.

§ 1. Specimen nititur principio, nuptiarum, contra legis praecepta initarum, quasdam esse absolute nullas, quarum igitur etiam exceptionis modo nullitas invocari possit, — quasdam esse tantum relative nullas, quarum nullitas a judice declaranda est 1). Hanc autem distinctionem juridico niti fundamento non nego; eam tamen incertitudinis et rixarum matrem futuram, neque ideo in vitam quotidianam proferendam esse simul puto. Recte igitur Codex noster ponit principium, nuptiarum nullitatem a judice declarandam esse 2).

Cur hoc loco magis, quam alibi, statuat Specimen 3), judici cavendum esse, ne falsis allegationibus decipiatur, non perspicio. Si tale requiratur praeceptum, rectius apponeretur Codici de re judiciaria; attamen eam, licet expresse non praescriptam, judicis munere contineri, faciliter unusquisque judex intelliget.

Quodsi ad nullitatis petitionem admittantur ii, quorum interest, intelligendi sunt illi, qui ejus commodum habent praesens et jam acquisitum, nec igitur sufficit possibilitas et verisimilitas futuri commodi 4); — addit Codex non igitur, quamdiu conjuges vivant, actionem illam intendi posse a collateralibus, a liberis ex alio matrimonio natis vel ab extraneis.

1) Spec. art. 189.

2) C. art. 140; Voorduin, l. c. II. pag. 245—251; de Pinto, l. c. II. pag. 75—77.

3) Spec. art. 192.

4) Spec. art. 191, C. art. 148; Voorduin l. c. II. pag. 266 et 267.

§ 2. Licet autem nuptiarum, absolute nullarum, nullitatis a judice declaratio necessaria non sit, haec tamen secundum Specimen peti potest ab illis, quorum interest, et a ministerio publico apud tribunal 1). Jus autem publici ministerii nuptiarum nullitatis declarationis aut earum annullationis postulandae cadit morte unius vel utriusque conjugis 2). Latius etiam patet Codicis praeceptum, quo ministerii publici jus petendae nuptiarum annullationis perimitur omni nuptiarum dissolutione 3). Speciminis principium, nullitatem absolutam et exceptionis modo posse invocari, hanc patitur exceptionem, ipsos conjuges neque contra semet invicem, neque contra tertios, invocare posse nuptiarum nullitatem, antequam haec re judicata declarata sit 4).

Secundum Specimen nuptiae obsolute nullae sunt 5).

1°. Si contractae sunt ab aliquo, qui adhuc aliis nuptiis junctus est;

2°. Si nuptiae, sine venia regis initae sunt ab iis, qui ob cognationis affinitatisve rationem matrimonium secum copulari prohibentur;

3°. Si sine judicis auctoritate perfectae sunt ab aliquo, qui, tempore matrimonii ineundi, ob sanae mentis defectum sub cura erat. Ex ipsis articuli verbis sequi videtur furiosum, auctore judice, nuptias contrahere posse, quod quomodo Speciminis art°. 122, imo juris rationi aptum sit, non capio. Dicit quidem Speciminis art^us. 143 aetate majores orbos, qui sub cura sunt, ad matri-

1) Spec. art. 196.
2) Spec. art. 196 et 202.
3) C. art. 149.
4) Spec. art. 194 et v. Hamelsveld, l. c. pag. 116.
5) Spec. art. 193.

monium ineundum indigere venia judicis, qui curam permisit, — attamen putarem hunc articulum spectare non posse eum, qui sanae mentis non sit; quum per rerum naturam judex non possit supplere, quod menti alicujus desit, si de jure quodam personali, e. g. de nuptiis agatur. Hoc autem casu tertio art[i]. 193 nullitatis declarationem petere nequit conjux alter ejusve heredes; conjux hic habeat enim, quod sibi imputet; inquirere potuit, qualis esset persona, quacum nuptias contraheret, et si cum illa, quam furiosam intellexerit, nihilominus inierit matrimonium, non debet postea ei licere insaniam hanc causam sumere nullitatis matrimonii petendae 1). Addit Specimen, jus nullitatis etiam absolutae invocandae et nullitatis talis declarationis petendae perimi quiete (berusting) conjugis, qui, secundum art[i]. 193 n[m.] 3, ob ejus consensus defectum declarationem nullitatis postulare potuisset 2); difficilius tamen dictu est, num generalem verba haec regulam statuant, an Specialem tantum casum tertium art[i]. 193 spectent.

Videamus jam, quid de tribus hisce casibus contineat Codex. Et quidem secundarum nuptiarum, ante priorum dissolutionem contractarum, nullitatis declaratio peti potest praeter quam ab ipsis conjugibus, ab adscendentibus, ab omnibus, quorum interest, et a ministerio publico, — etiam ab eo, qui cum altero conjugum matrimonium prius adhuc contractum habet 3); cur neque huic eandem facultatem Specimen tribuerit, nescio. — Nuptiae contractae ab illis, qui prohibito gradu cognationis aut affinitatis conjuncti sunt, annullari possunt

1) Spec. art. 195.

2) Spec. art. 197.

3) C. art. 141.

ad petitionem ipsorum conjugum, descendentium, omnium, quorum interest, et publici ministerii 1). Si is, qui ob insaniam sub cura est, nuptias iniit, earum annullationem petere possunt ejus adscendentes, fratres, sorores, patruus, avunculus, amita, materera, curator et ministerium publicum, cura sublata, nullitas invocari ab eo tantum potest, qui subcura fuit, et ejus quoque jus cohabitatione per sex menses perimitur 2).

§ 3. Nullitas relativa ut invocari possit, a judice proclamata esse debet 3). Generaliter hic est animadvertendum, declarationem nullitatis absolutae semper, nullitatis vero relativae quibusdam tantum in casibus peti posse a ministerio publico, — illa enim primario rem publicam spectat, haec vero primario commoda privatorum, secundario demum rem publicam. Omnis hic Speciminis locus tam implicite scriptus est, ut non faciliter aliquem poeniteat, illum legis vigorem nactum non esse. Videamus, quando nullitas haec relativa adsit, et quinam ejus declarationem petere possint. Prius tamen monendum est, conjugum jus annullationis postulandae secundum Specimen perimi: 1°. remissione expressa vel tacita, quae ultima quoque praesumitur, si concubitus factus est, postquam causa annullationis existere desierit; — 2°. lapsu sex mensium post idem tempus; 3°. morte unius vel utriusque conjugis 4).

Secundum Specimen annullatio nuptiarum, contractarum ab aliquo, qui nondum implevit annos, matrimonio ineundo lege requisitos, peti potest ab ipso hoc con-

1) C. art. 145.
2) C. art. 143.
3) Spec. art. 198.
4) Spec. art. 201.

juge, — a ministerio publico, quamdiu confirmatae non sunt nuptiae conjugis quiete et legitima aetate, — ab omnibus, quorum interest, antequam quies modo memorata, obtinuit 1). Hoc casu Codex actionem tribuit tantum ipsi conjugi, qui legitimam nondum impleverat aetatem, et publico ministerio, — et jus illud cadit, si ipso actionis die, aetatem lege requisitam conjux adeptus est, — vel si uxor, legitimam nondum nacta aetatem, ante diem actionis gravida facta est 2). Ultima haec exceptio, quam Specimen non noverat, rectissime in Codicem nostrum, ad exemplum Codicis Napoleontici 3), apposita videtur; certam enim lex requirit aetatem hanc, quam nacti demum, homines censentur habiles liberis procreandis; quodsi vero ante impletam hanc aetatem certum graviditatis testimonium exstat, conjugem habilem jam esse procreationi, non debet locum habere annullatio ob causam, cujus fundamentum evanuit 4).

Si alter conjugum, matrimonii ineundi tempore, propter sanae mentis defectum, licet ideo non esset sub cura, inhabilis erat ad semet obligandum, — nuptiarum illarum annullationem ex Specimine peti potest a conjuge illo, simulac sanam receperit mentem, — a ministerio publico, quamdiu conjux, sana recepta mente, matrimonium quiete non confirmaverit, — a parentibus, qui consensum non dederant, a tutoribus aut curatoribus, qui expressum consensum non dederant, quamdiu nuptias illas conjux, sana mente recepta, qui-

1) Spec. art. 2001°, 2021°, 206 et 2071°.

2) C. art. 144.

3) C. N. art. 185.

4) Sassen l. c. pag. 187; de Pinto l. c. II. pag. 78.

ete non confirmarit, — si parentes, tutores, curatores deficiant, ab adscendentibus, descendentibus, fratribus, sororibus, patruis, patruis magnis, avunculis, avunculis magnis, amitis, amitis magnis, materteris, materteris magnis, per natalia legitima aut legitimationem, aut a matre per natalia illegitima cognatis, nisi nuptiae quiete, modo laudata, confirmatae sint, — denique ab omnibus, quorum interest, quamdiu conjux, sanam mentem nactus, non acquieverit et tantum quamdiu hic vivat 1). — Cum casu hocce conjungamus casum, quo Specimen annullationis actionem concedat conjugi, qui aut nullum, aut non liberum consensum dederit, aut qui in alterius conjugis personam erraverit 2). — Simpliciorem viam ingressus, duos hos casus Codex noster conjunxit 3), ac statuit, conjugem, qui liberum consensum non dederit, aut in personam conjugis erraverit, nullitatis declarationem petere posse, sed facultatem hanc amittere, tribus mensibus praeterlapsis postquam plenam receperit libertatem erroremve detegerit. Ideo tamen hoc loco reprehendendus videtur Codex, quod cognatis quibusdam et ministerio publico actionem annullationis non dederit, si conjugis liber consensus insania constrictus esset, — nunc enim nuptiae, contractae ab aliquo, qui insanae mentis est, consistent, dummodo hic sanam mentem non recipiat. Vituperant viri docti errorem in personam ansam dare posse nuptiarum annullationi, imo dicunt se sibi talem errorem fingere non posse 4). Objicere mihi liceat casum, quo matrimonium contractum

1) Spec. art. 200 2°, 202 3°, 203, 204, 205, 206 et 207 1° et 3°.

2) Spec. art. 200 3°.

3) C. art. 142.

4) Donker Curtius, l. c. pag. 52 et 53; v. Hamelsveld, pag. 123—125.

sit per mandatarium; hic enim, nominis similitudine in errorem inductus, cum persona valde diversa nuptias contrahere potest.

Adhuc secundum Specimen maritus petere potest nuptiarum annullationem, si, matrimonii ineundi tempore, uxor ex alio gravida jam erat, insciente marito 1); hunc autem casum Codex noster non continet, quia probatio difficillima esset, et ansam daret fraudibus conjugum inter se 2). Denique Specimen annullationis petendae jus tribuit conjugi, qui possit probare, alterum conjugem jam tempore ineundi matrimonii vitio insanabili, seu connato, seu accidentali, inhabilem fuisse ad liberos procreandos 3); — impudicas ob lites, quae inde orirentur, hanc annullationis causam non assumsit legislator anni 1838 4). Num tamen praeferendum sit, legem conjugi alteri tribuere jus decipiendi conjugis alterius, et hujus cogendi vinculum tenere conjunctum, cujus principale propositum impossibile factum sit, vehementer dubito. Similis causa nullitatis jam pristino jure patrio nota erat 5).

Nuptiarum annullatio secundum Specimen peti potest quoque in casu contraventionis requisitorum circa numerum et tempus promulgationum, et quidem a ministerio publico, utroque conjuge vivente, necdum sex mensibus praeterlapsis post nuptiarum celebrationem et ab illis quorum interest 6). Jus illud eorum, quorum in-

1) Spec. art. 200 4°.

2) Donker Curtius, l. c. pag. 53 et 54; Voorduin, l. c. II. pag. 252 et 253.

3) Spec. art. 200 5°.

4) Voorduin l. c. II. pag. 253.

5) Brouwer, de jure connubiorum, l. II. cp. 4. § 14; v. Hamelsveld, l. c. pag. 127—129.

6) Spec. art. 202 2° et 206.

terest, perimitur dispensatione, a rege, ad petitionem seu utriusque conjugis, seu superstitis tantum, seu, utroque conjuge defuncto, ejus descendentium, concedenda, si dispensatio ante nuptias perficiendas a regimine municipali dari potuisset 1). Animadvertendum est, dispensationem illam, qua nullitas tegatur, non eundem habere effectum, quem dispensatio ante nuptias concessa; haec enim omnes jungit, illa vero vim habet tantum quod attinet ad ipsos petentes eorumque liberos, ad eos, qui ex nuptiarum annullatione nondum adepti sunt jus vel spem, a petitorum voluntate independentem, et ad eos, qui in petitam dispensationem consenserunt 2); effectus autem talis restrictus dispensationis non valde mihi placet, quum conjugum jura incerta relinquat. — Promulgationum omissionem nullitatis causam non assumsit Codex noster, sed mulctam minatur tantum in officialem status civilis, qui nuptias conjunxerit, debitis non praecessis promulgationibus 3); et recte sic mutatum puto, nullitates enim nimis augendae non sunt, et, quod si nihil aliud obstet, nuptiae salvae maneant. —

Ministerio publico jus quoque tribuit Specimen nullitatis petendae nuptiarum, ab adulteris, — ab iis, quorum matrimonium divortio dissolutum est, — et a conjuge, contra quem proclamatum est divortium, contractarum; idem quoque jus tribuit omnibus, quorum interest 4); cur tamen hoc loco addat Specimen, nullitatis causam probandam esse re aliqua judicata, non intelligo, nam hanc et ipsi art[i] 127 et 128 requirunt 5). In

1) Spec. art. 207 2°.
2) Spec. art. 208.
3) C. art. 154, 107 et 137.
4) Spec. art. 202 4° et 206.
5) Donker Curtius, l. c. pag. 55 et 56.

quantum autem Codex nuptias illas prohibeat 1), earum annullationis petendae jus tribuit conjugum adscendentibus, omnibus quorum interest, ministerio publico et ipsis conjugibus 2).

Parentes secundum Specimen liberorum matrimonii annullationem postulare possunt, quum hi illud inierint sine eorum consensu; eorum jus tamen perimitur consensu expresso vel tacito, post nuptias perfectas dato, aut lapsu triennii post confectum matrimonium, seu hujus conscii fuerint, seu inscii 3). Tutores autem propter defectum consensus tunc demum secundum Specimen nuptiarum annullationem petere possunt, si pupillus sanae mentis non erat, et quamdiu hic, sana recepta mente, nuptias quiete non confirmarit 4). Codex autem, quum de parentum consensu requirendo aliter statuerit, hic quoque distinquit. Statuit enim nuptias, a minoribus sine requisito consensu parentum, avi, aviae, tutoris aut tutoris subrogati contractas, annullari posse ad petitionem eorum, quos consentiisse aut audiri opus fuisset; — addit vero nuptias a majorennibus, qui adhuc indigerent rogando parentum consensu, sine observatione hujus formalitatis contractas, annullari non posse 5), et quidem recte; hisce enim non deëst essentiale quid. sed formalitas quaedam, cujus omissioni vis annullationis tribui non debet. Codex addit jus illud cognatorum perimi insecuto consensu expresso vel tacito,

1) C. art. 89 et 90.
2) C. art. 145.
3) Spec. art. 203.
4) Spec. art. 204.
5) C. art. 146, 154, 99 et 103.

aut lapsus sex mensium inde a momento, quo matrimonii certiores facti sint; legislator autem, ut post verbum „bloedverwanten" adderet, omisisse mihi videtur, „voogd of toezienden voogd;" ex strictis enim art[i] 146 verbis sequi jam mihi videtur, horum actionem nec postea dato consensu, neque lapsu sex mensium praescribi, hujus causam esse puto, quod et in primam art[i] hujus alineam eadem verba postea demum addita sint, quo facto, omiserit legislator sibi constare, atque similia in secundam alineam apponere 1). Quod attinet matrimonia in terra peregrina contracta, horum cognitio non praesumitur, antequam nuptiarum instrumentum in librum publicum status civilis transcribendum curarint conjuges; hoc autem nobis probat, art[um] 139 nudum non tantum praeceptum continere.

Novam etiam Codex continet annullationis causam; nuptias enim, non coram officiali status civilis competente, aut praesente testium numero requisito, annullari permittit ad petitionem adscendentium, tutoris, tutoris subrogati, omnium quorum interest, ministerii publici, denique ipsorum conjugum; sed hi tunc demum admittuntur, quum status conjugalis possessio deficit, neque nuptiarum instrumentum, coram officiali status civilis confectum, profertur. Recte, certe prudenter sic statuit legislator noster. Quodsi hac de re nihil cautum fuisset, non tamen ineptum fuisset contendere, nuptias illas, requisitis hisce non observatis, nullas esse; — nuptias enim vocat lex, quae coram competenti officiali status civilis perfectae sunt, adhibitis quatuor testibus; quodsi haec sunt neglecta, non sunt nuptiae. Si testium quali-

1) Voorduin, l. c. II. pag. 261 et 262.

tas non per omnia satisfaciat requisitis art$^{i.}$ 131, Codex judicem permittit nuptias pro temporibus aut annullare, aut illud non facere 1), — quod puto vituperandum, sic enim quod de testium qualitate requiritur, nudum fit juris praeceptum; — qui matrimonium ineunt, certiores se facere possunt et debent de testium qualitate.

§ 4. Quaenam sint variae secundum Specimen et Codicem consecutiones nuptiarum irritarum, jam videamus. Statuitur nullitatem ultima judicis sententia pronuntiatam invocari posse tam a conjugibus ipsis, quam ab iis, quorum interest, tunc quoque quum hi ad postulandam annullationem admitti non potuissent; hoc autem in rerum natura positum est, nuptias considerari non posse his personis quidem, illis vero non existere 2); quod vero addat. Specimen tunc adhuc nullitati contradicere posse alios, quorum interest, propter publicam obtectamve partium simulationem, minus mihi placet; sic enim numquam finirentur lites, res judicata pro nihilo haberetur et praeterea judex in lite praecedente videre debuit, ne simulatione deciperetur 3). Regulam Specimen ponit, nuptias illas quod ad jura civilia, ex iis profluentia, considerari quasi numquam exstitissent, salvis tamen exceptionibus 4). A regula illa quasdam jam exhibet Specimen exceptiones.

Nullitatis declaratio vel annullatio nocere nequit, juribus tertiorum, qui constante matrimonio cum conjugibus bona fide contraxerint; hoc autem juris est tam secundum Specimen quam secundum Codicem 5); Specimen

1) C. art. 147.
2) Spec. art. 210 et C. art. 1957.
3) Donker Curtius l. c. pag. 57 et 58.
4) Spec. art. 209.
5) Spec. art. 211 et C. art. 153.

vero exceptionem admittit quod ad illos tertios, qui ipsi nullitatis declarationem vel annullationem petierunt, et recte hanc non assumsit Codex, nam iniquum est, quemquam juribus acquisitis privari, quod jure, a lege concesso, usus sit. Sequens Speciminis articulus 1) cavet, etiam nuptias absolute nullas, — eo magis igitur relative tantum nullas, — ab utraque parte bona fide contractas, legitime exstitisse habendas esse, tam inter ipsos conjuges, quam in eorum commodum contra tertios, donec nullae declaratae erunt actione, ad id inter vel contra conjuges instituenda; liberos autem semper legitimos haberi. Sin vero ab altera tantum parte bona adsit fides, haec omnia locum habent tantum in hujus et liberorum commodum 2). Addit jam Specimen 3), nuptias annullatas usque ad annullationem legitime exstitisse censendas esse in commodum conjugis, qui annullationem petierit, contra alterum conjugem ejusve repraesentantes, non vero contra tertios. Secundum Codicem autem nuptiae annullatae omnes habent consecutiones civiles quod ad liberos et quod ad conjugem aut conjuges, qui bona fide matrimonium contraxerint 4). Magnum autem hic occurrit discrimen; Specimen ponit enim bonam fidem probandam esse, eamque non sufficere, quod ad ea, quae post errorem detectum gesta sunt 5); Codex vero sano nititur juris principio bonum unumquemque haberi donec malus probetur, quum sufficere statuit bonam fidem adesse in momento ineundi matrimonii 6).

---

1) Spec. art. 212 et 487.
2) Spec. art. 213 et 487.
3) Spec. art. 215 et 487.
4) C. art. 150 et 151.
5) Spec. art. 214.
6) Voorduin l. c. II. pag. 268 et de Pinto II. pag. 80.

SECTIO VII.

De probatione nuptiarum.

Peculiaris hic paragraphus Codicis titulo de nuptiis additus est, non tamen continet, quae in Specimine prorsus omittuntur. Tam enim secundum Specimen quam secundum Codicem nuptiae probantur instrumento publico, in tabulas status civilis inscripto 1). Hoc autem deficiente, secundum Specimen status conjugalis possessio sufficit, secundum Codicem vero, num modi probationis sufficiant, judici dijudicandum permittitur, dummodo adsit status conjugalis possessio 2). Rectius haec omnia apponerentur loco de actis et tabulis status civilis. Addit praeterea Codex, liberorum legitimitatem ob defectum instrumenti nuptialis parentum defunctorum dubitari non posse, si statum illi possideant, cum instrumento natalicio convenientem, et parentes palam vixerint ut conjuges 3). Aequissime statuta haec sunt; durius enim esset liberos, qui proximis probationis modis ostenderent sese legitimos esse, statum suum amittere propter remotiorem, incertum et negativum modum probationis.

1) Spec. art. 189 et C. art. 155.
2) Spec. art. 190 et C. art. 156.
3) C. art. 157.

CAPUT VI.

DE CONJUGUM JURIBUS ET OFFICIIS 1).

§ 1. Huic loco Specimen et Codex apponunt praecepta quaedam, ut mihi videtur, superflua; veluti quod Codex praecipit, conjuges sibi invicem debere fidem et auxilium 2), — jam sponte sequitur e notione matrimonii, conjuges illam sibi praestabunt, licet leges non praescribatur, — et, licet ibi praescriptam, conjuges illam, si nolunt, non servabunt, nam quomodo, quaeso, ad eam cogerentur. — Speciminis titulus majorem habet extensionem, multa enim continet supervacanea, quae ad scholas juridicas magis pertineant, quam ad legem, aut quae per se jam ex reliquis praeceptis sequantur; — quaedam tamen ejus praecepta in Codicem transferri debuissent.

§ 2. Jam in initio hujus loci Specimen statuit, nuptiis uxorum venire in potestatem mariti 3); tale autem praeceptum in Codicis titulo desideratur, attamen ei apponi debuisset, si sibi constare voluisset legislator, qui in art°. 354 patriam potestatem expresse nominat; supponit tamen maritalem potestatem Codicis art^us. 1759. Ab hoc autem principio deducit Specimen, feminam curan-

1) L. Asser, diss. laud. pag. 35—41; regtsgel. bijdr. IV. pag. 509—511; L. W. Dull. diss. de conjug. jur. oblig. que, quatenus ad ips. personam referuntur, Gron. 1840.

2) C. art. 158.

3) Spec. art. 218.

dam a cura liberari 1); quum statueretur hoc casu curatoris administrationem finiri, ac ipsum maritum curatorem uxoris fieri, rem defenderem; — cui vero illud praeceptum bonum sit, non intelligo.

§ 3. Res communes maritus administrat, atque secundum Specimen illas omnes alienare et obligare potest; hoc quoque secundum Codicem valet, attamen nisi uxor pactis nuptialibus pacta sit, maritum sine ejus consensu non posse alienare aut obligare res immobiles, aliasque res specialiter lege nominatas, quas uxor in communionem attulerit; — denique secundum Codicem mariti potestas hanc subit deminutionem, eum inter vivos donare non posse res immobiles, earumve partem, nisi ut liberis, ex illo matrimonio natis, certam tribuat, conditionem, neque rem immobilem, cujus usumfructum sibi retineat; similem autem coarctationem Specimen assumsit in communione restricta 2). In illo generali praecepto Specimen secutum est pristinum, attamen recentius, jus Hollandicum, quum antiquissima patria jura uxoris consensum exigerent 3).

§ 4. Uxor, ut litiget, mariti indiget auctoritate. Haec vero secundum Specimen non requiritur, si contra uxorem instituitur actio criminalis, incepta apprehensione aut citatione personali; exceptionem illam Codex merito extendit ad omnes actiones poenales, absurdum enim est, maritum justitiae manum, uxori imminentem, retinere posse aut tantum retardare 4). Alteram Speci-

1) Spec. art. 219 et 759 3°.

2) Spec. art. 221, 222 et 285; C. art. 179 et 195.

3) V. Hamelsveld l. c. pag. 144 et 145; Voet. ad tit. D. de fundo dot. § 7.

4) Spec. art. 225; C. art. 165 et 166; et Voorduin l. c. II. pag. 285 et 286.

minis exceptionem, nempe si actio sit inter conjuges, arctioribus Codex circumscripsit finibus, quum mariti auctoritatem excludat tantum in actione divortii, separationis mensae et thori, aut bonorum; causa tamen, quapropter arcta haec exceptio admissa sit, quoque mihi videtur adesse in reliquis inter conjuges actionibus.

Uxor ad semet obligandam indiget mariti consensu 1). Hunc autem non tantum expresse, sed et tacite dari posse, Specimen statuit, quod ultimum Codex, ut nimis periculosum, non permisit 2). Tacitus tamen consensus, exceptionis modo, Codice nostro permittitur, si uxor mercaturam agat publicam; haec enim, insciente marito, vix fieri potest 3). Si uxor contraxerit sine mariti consensu, Specimen adhuc permittit mariti ratihabitionem, de qua Codex silet; num merito taceat, dubito; durum enim videtur maritum confirmare non posse contractum, ex quo nescio quantum commodum conjugibus oriri potuisset.

§ 5. Specimen statuit, ad maritum non pertinere periculum administrationis rerum uxoris, et quidem convenienter juribus antiquis patriis 4); aequius statuit Codex, illum omnem culpam praestare 5).

§ 6. Conjugibus, qui pacti sunt communionem lucri et damni Specimen 6) tribuit jus conveniendi, constante matrimonio, de gestione rei suae familiaris committenda uxori, praeterea hanc neque obligari aere alieno, in posterum a marito contrahendo; contractus hic, a judice

1) Spec. art. 226 et 227; C. art. 163.

2) Voorduin, l. c. II. pag. 283.

3) C. art. 168.

4) Spec. art. 237 et v. Hamelsveld, l. c. pag. 159 et 160.

5) C. art. 160.

6) Spec. art. 241.

approbatus et promulgatus debet inscribi in tabulas, quibus inscribuntur pacta nuptialia; — quibus peractis eandem habet vim, ac pacta ipsa nuptialia. Tale quid legislator anni 1838 non permisit, et omnino recte; mater enim esset discordiarum inter conjuges et machinationum, quibus tertii vehementer deciperentur 1).

CAPUT VII.

DE BONORUM COMMUNIONE INTER CONJUGES 2).

Specimen originale anni 1816 universalem ponebat bonorum omnium communionem inter conjuges, quae locum haberet, nisi ei derogarerur pactis nuptialibus. Juris Napoleontici systema communionis legalis rerum tantum mobilium spernens, studio morum patriorum ductus rediit legislator anni 1816 ad universalem illam communionem, quae pristino jure in plurimis patriae provinciis recepta esset 3). Legislator anni 1820 quum Neerlandiae meridionalis incolarum petitionibus satisfacere, simul tamen majoris Neerlandiae septentrionalis

1) Donker Curtius, l. c. pag. 83—88; v. Hamelsveld, l. c. pag. 163 et 164.

2) L. Asser, diss. laud. pag. 41—60; regtsgel. bijdr. IV. 512—523; D. Oldenhuis Gratama: diss. de univ. bonor. int. conjug. commun. Gron. 1835.

3) De Groot II. 11. § 8; Voet ad tit. D. de ritu nupt. § 85—92; v. Hamelsveld, l. c. I. pag. 177—181; Voorduin l. c. II. pag. 307; Asser l. c. pag. 82 et 83; De Pinto, l. c. II. pag. 88—90.

partis voluntatem non negligere cuperet, mediam quandam viam 1) ingressus statuit, futuros conjuges coram status civilis officiali eligere posse inter communionem universalem et communionem restrictam, utramque Specimine assumtam. Quodsi declaratio haec omissa esset, communio universalis nuptiis oriretur 2). Similis electionis jus Codex Napoleonticus conjugibus futuris concedebat inter regimen communionis et regimen dotale, quum primum locum haberet, quodsi omissa esset electio 3). Valde miror Speciminis praeceptum 4), minores aut curandos, in hac facienda electione, nullius indigere auctoritate; cur hic non idem requiratur, quod circa pacta nuptialia Specimen exigat 5), nescio, quum in utroque casu similiter inhabiles sunt minorennes et curandi ad gerenda negotia 6). — Codex noster unam ponit bonorum communionem legalem, et quidem universalem, quae, deficientibus pactis nuptialibus, nuptias sequatur. De ipso principio, quaenam praeferenda sit communio, num restricta, an universalis, non loquor, licet discrimen in communione restricta factum inter res mobiles et immobiles ineptum mihi videatur 7), et universalis omnium bonorum communio nuptiarum instituto magis conveniat 8); — quod vero ad electionem illam attinet, hoc unum dico, legislatorem scire debere, quid sibi velit, num admittenda

1) Voorduin l. c. I. 1. pag. 144 et 208.

2) Spec. art. 248 et 250.

3) C. N. art. 1391 et 1393.

4) Spec. art. 248.

5) Spec. art. 342.

6) Donker Curtius, l. c. pag. 91—93.

7) Donker Curtius, pag. 124.

8) Donker Curtius l. c. pag. 89 et 90; Voorduin, l. c. II. pag. 306—312; Asser l. c. pag. 76—80.

sit communio bonorum, nec ne, — num preferenda sit communio restricta an universalis 1); certum sibi sumat principium legislator; si communionem admiserit, hanc unam eandemque jus faciat generale, a quo non nisi pactis nuptialibus recedere liceat. — Monendum hoc loco videtur, Speciminis communionem universalem majorem partem convenire cum illa universali, quae hodie apud nos juris sit, -- restrictam vero Speciminis communionem e Codice Napoleontico desumtam esse.

SECTIO I.

De bonorum communione universali.

§ 1. Quodsi bonorum communio universalis exstat, omnia conjugum bona in communionem veniunt, exceptis tamen rebus, quas testator aut donator communes fieri vetuit 2). Alteram addit Specimen exceptionem quod ad res et jura, quae ob fideicommissum vel alienationis prohibitionem in alios transferri nequeunt, et quidem statutum sic est convenienter pristino juri patrio 3). Licet hanc exceptionem non diserte fecerit Codex, res tamen illas secundum eum communes non fieri puto, quoniam sic obtineret alienatio quaedam, quam testator donatorve vetuerit 4).

---

1) Voorduin II. pag. 292 et 293.

2) Spec. art. 252 et 253; C. art. 175 et 177.

3) De Groot l. c. II. 11. § 10; Voet ad tit. D. de ritu nuptiarum § 84.

4) De Pinto, l. c. pag. 90.

§ 2. Communione dissoluta, maritus in solidum tenetur debitis communionis secundum Codicem 1), secundum Specimen contra unusquisque conjux, nisi ipse semet obligaverit, ultra dimidium non tenetur debitis, ab altero conjuge constante matrimonio contractis 2).

Communionis cessionem tam Specimen, quam Codex uxori concedit; nihilominus jus illud cessionis faciendae secundum Codicem latius patet. Specimen enim viduae facit potestatem communionis cessionis faciendae, acto authentico conficiendo ante mariti sepulturam 3). Tempus illud, ex jure patrio desumtum 4), nimis breve legislatori anni 1838 visum est, atque igitur ad mensis spatium post dissolutam communionem extensum est 5); durum omnino videbatur legis praeceptum, quo uxor cogeretur in ipsis illis diebus luctuosis commodum cogitare pecuniarium. Quoque animadvertendum est, Specimen cogitasse tantum casum, qui plerumque fiat, nempe morte dissolvi communionem, quum Codex loquitur de uxore, quae, quovis modo dissoluta communione, cessionem facere possit. Si uxor intra mensem illum moriatur, idem illud jus cessionis heredibus tribuit Codex per novum mensis spatium, computandum inde ab illius morte vel a tempore, quo eam mortuam esse intellexerint; repetitio tamen linteorum et vestium, uxori ipsi concessa, ejus heredibus non tribuitur 6). Dubium mihi est, an Specimen quoque idem jus heredibus tacite tribuat; dici potest cessionem illam privi-

1) C. art. 183.
2) Spec. art. 255.
3) Spec. art. 256.
4) De Groot l. c. II. 11. § 16.
5) C. art. 187 et 188.
6) C. art. 189.

legium esse peculiare uxori concessum, quod igitur per interpretationem ad alios extendi non liceat; huic tamen obstat, heredes succedere in omne jus, quod defunctus tempore mortis habuerit. Similiter Codex, communione uxoris morte soluta, heredes ejus permittit cessionem facere intra idem temporis spatium 1). Adjicit porro Codex, uxorem jus illud amittere si se gesserit communionis domina, atque etiam tam ejus quam heredum jus perimi, si res illi quasdam communes alienarint aut amoverint 2). Beneficium cessionis reprehendit doct[s]. W. B. Donker Curtius 3), at immerito. Jus enim constituendum est ob id, quod plerumque fit; quum autem maritus caput sit matrimonii, bonorum detrimentum tribuendum est ejus dolo vel culpae, itaque durum esset, si uxor, quae jam partem suam communionis a marito consumtam videret, etiam post dissolutam communionem deberi, quod deëst, supplere.

§ 3. Altero conjuge defuncto minoribus liberis superstitibus, secundum Codicem conjux superstes intra tres menses facere debet inventarium bonorum, quae communionem efficiunt 4); eandem obligationem Specimen imponit marito, dissoluta communione, aut conjugi superstiti, si communio soluta sit morte, et quidem intra duos menses 5). Recte sic generaliore modo statuit legislator anni 1820, nimis enim liberorum sorti provideri nequit.

§ 4. Morte dissolvitur 6) communio; duobus tamen

1) C. art. 193.

2) C. art. 191 et 192.

3) L. c. pag. 106 et 107.

4) C. art. 182.

5) Spec. art. 259.

6) J. G. Kist diss. de communionis univers. int. conjug. dissolut. L. B. 1847.

in casibus haec secundum Specimen continuari potest, quorum secundus aliquantum convenit huic rei, quae antiquo jure Hollandico in usu erat nomine: „boedelhouderschap 1). Continuata illa communio locum habet 2).

1°. inter conjugem superstitem et heredes conjugis defuncti, qui ab hoc vocati sunt ad certam portionem ejus, quod conjux superstet ex hereditate conjugis praedefuncti reliquerit. Hoc igitur verum fideicommissum est de residuo, quale et Codex permittit 3).

2o. Inter conjugem superstitem ejusque liberos vel descendentes remotiores, quum hi in casu et sub modis, mox memorandis, communionis continuationem eligant. Loquitur Speciminis articulus de liberis aut descendentibus aetate *majoribus aut minoribus*, quam inanem appositionem reprehendit doct[s]. Donker Curtius 4), et quidem ideo recte, quod verba haec seu addita, seu omissa, legis sensum nihil prorsus mutent. Addita tamen mihi videntur verba haec, ut discrimen luculentius pateret cum veteri illo jure, quo vidua, minorennes habens liberos, communionem continuaret ad tempus, quo filius, natu major, factus esset majorennis 5). Si igitur conjux superstes, liberos vel descendentes habens, neque cum iis communionem dividat, neque intra duos menses inventarium faciat, liberi illi vel descendentes bonorum conditionis inspectionem petere possunt, qualis haec erat tempore mortis conjugis praedefuncti, et qualis haec est aut erat tempore solvendae communionis continuationis; et, omnibus perspectis, statuere possunt, an pro-

1) De Groot l. c. I. 13.
2) Spec. art. 258.
3) C. art. 1036—1038.
4) l. c. pag. 108 et 112.
5) De Groot, l. c. II. 13. § 2.

bare velint continuatam communionem, nec ne 1). Electio autem haec jus est personale liberorum vel descendenticum, et quod ad eorum heredes communio censetur finita in ipso tempore mortis praedefuncti conjugis; — quodsi tamen continuata communio jam sit finita: 1o faciendo inventario post tempus duorum mensium praeterlapsum, aut 2o transactione facienda, sicuti infra videbimus, quum novum matrimonium initurus sit conjux superstes, — ejusdem electionis jus liberorum heredibus conceditur 2). In communionem continuatam cadunt, quaecunque in ipsam communionem veniunt, exceptis tamen his, quae postea liberi capiant ex hereditatibus, legatis vel donationibus, et quaecunque commoda et damna iis extra communionem acquirantur, postquam parentum potestate liberati erunt 3). — Quum autem continuata haec communio tam veteri quam Speciminis jure constituta esset in gratiam conjugis superstitis, jure nostro species ejus in hujus conjugis poenam admittitur. Statuit enim Codex, quodsi conjux superstes inventarium non fecerit intra tempus trium mensium, lege praescriptum, communionem continuari in commodum minorum, numquam vero in eorum damnum 4). Communio continuata secundum Specimen dissolvitur, tam duobus modis supra laudatis, quam morte conjugis superstitis 5). Vidimus jam, jure nostro communionem interdum con-

---

1) Spec. art. 26i. Voet, ad tit. D. soluto matrim. etc.; v. Havelsveld, l. c. I. pag. 191.

2) Spec. art. 262 et 264.

3) Spec. art. 263; stadregt van Harderwijk, II. 6. 51; Groninger stadsconstitutie van huwelijksvoorwoorden, art. 36.

4) C. art. 182.

5) Spec. art. 264.

tinuari in poenam superstitis conjugis negligentis; attamen et aliam quandam admittit Codex communionis continuationem, de qua nunc videndum erit. Conjux itaque superstes, qui cum praedefuncto in communione universali vel restricta vixisset, a tribunale, auditis vel advocatis cognatis affinibusve et tutore subrogato, et audito ministerio publico, accipere potest potestatem tenendi bona, opificium, mercaturam, fabricam aut talia in communione cum minoribus per certum tempus, immo usque ad majorem aetatem; attamen petitum permittere nequit tribunal, nisi, inventario inspecto, magnum ei apparuerit minorum commodum et cautio sufficiens, quam pater materve praestent; — permissum illud retrahere potest tribunal ad petitionem tutoris aut tutoris subrogati, aut ad requisitionem ministerii publici 1). Animadvertenda igitur sunt, secundum Specimen omnium bonorum communionem continuari, secundum Codicem vero certarum quarundum rerum; — secundum Specimen communionem continuari, si inventarium factum non est, Codicem vero, ut continuetur communio, requirere ipsum factum inventarium; secundum Codicem nostrum ipsum judicem liberorum commodum inquirere debere, quod cum toto nostro minoris aetatis systemate cohaeret, et egregie facere mihi videtur ad promovendum commodum eorum, qui semet ipsos curare nequeunt 2).

1) C. art. 466.
2) De Pinto, l. c. II. pag. 771 et 178.

SECTIO II.

De bonorum communione restricta.

§ 1. Sectio haec tertia Speciminis tituli sexti tam implicita continet praecepta, ut saepe difficile sit cognitu, quid legislator voluerit. Omnis haec communio, ut legalis, improbanda mihi videtur. Sinat quidem legislator conjuges futuros pactis nuptialibus hanc sibi eligere communionem; ne tamen sufficiat nuda, coram status civilis officiali facta, declaratio, quum saepe hanc sibi eligerent communionem conjuges, errore ducti et inscii, in quas sese involverent difficultates. Scio quidem unumquemque legem cognovisse censeri, et sibi imputare debere, si in legem erraverit; attamen legislator studeat simplicitati, in lege maxime necessariae, nec mentem lectorum obruat praeceptis implicitis et distinctionibus subtilibus, qui tantum a paucissimis intelligi possint 1). Plura hic locus continet praecepta, quae potius a cathedra doceri, quam lege juberi debuissent; plures hic occurrunt repetitiones, quae nusquam, nedum in lege, sint opportunae; plura hic dicta sunt, quae et si non dicta, numquam dubitarentur; — plura hic longe simplicius exprimi potuissent; verbo, sectio haec valde reprehendenda videtur.

§ 2. Communio restricta continet omnes res mobiles, quas conjuges ante perfectum matrimonium habuerunt, aut postea acquisiverunt ex hereditate aut donatione, nisi testator aut donator contrarium jusserit, — et res

1) Donker Curtius pag. 123—128.

immobiles, constante matrimonio, alio titulo quam ex hereditate aut donatione acquisitas; — praeterea lignum secatum et ex metallis effossa, in quantum haec in usum fructum cadere soleant; — deinde res immobiles intra tempus nuptiarum nuntiationis et earum perfectionis acquisitas 1). Communionis passivum continet omnia conjugum debita, exceptis his quae ad res immobiles pertineant 2); hoc tamen notandum est, communionem teneri ad rerum immobilium, quae in communionem non veniant, reparationes easdem praestandas, quas usufructuarius solvere teneatur. Patet igitur ex hoc et ex aliis locis communionem non quidem dominium aequirere rerum immobilium, ante nuptias et quoque post nuptias ex hereditate vel donatione aequisitarum, sed tamen usumfructum aliquem. Quum uxor sine mariti auctoritate aes alienum contraxerit, creditores non quidem jus habent in bona communionis, sed tamen in dominium rerum immobilium, quae communes non sunt 3); exceptionem igitur hic admittit Specimen a principio, uxorem semet obligare non posse sine mariti auctoritate 4). Ab regula autem, quae statuit, quaenam veniant debita in communionem, modificationes aliquas exhibet Specimen. Si enim hereditas marito provenit, hereditatis creditores jus persequi possunt in bona tam mariti, quam communionis, salva hoc casu damni resarcitione uxori praestanda; quum hereditatem similem, nempe quae unice rebus immobilibus constat, uxor, consentiente marito, adierit, creditores, jus persequi possunt in bona uxoris, sed si

1) Spec. art. 265—272; C. N. art. 1401—1408.
2) Spec. art. 273, C. N. art. 1409.
3) Spec. art. 274, C. N. art 1410.
4) Spec. art. 226; Donker Curtius l. c. pag. 132 et 133.

judicis auctoritate eam adierit, creditores non sufficien tibus hereditatis bonis immobilibus, jus suum persequi possunt in nudum dominium ceterorum uxoris bonorum 1). Quomodo posteriore in casu creditorum jus differat, non perspicio, neque magis, cur aliud esse debeat jus ereditorum, si marito, aliud, siuxori hereditas proveniat 2).

Quae maritus ex delicto debet, comparari licet ex communione, salva damni resarcitione, uxori praestanda; uxoris vero debita ejusdem naturae comparari tantum possunt ex dominio bonorum ejus personalium 3); cur talis distinctio admittatur, non intelligo 4).

§ 3. Uxoris res immobiles sine ejus consensu alienare nequit maritus 5); quod autem hic in restricta communione vetat Specimen, idem et praeterea rerum illarum obligationem generaliter vetat Codex 6) in omni casu, quo res aliqua uxoris immobilis extra communionem mansererit. Deinde Specimen hoc loco a principio suo 7), maritum responsabilem non esse pro ad ministrandis rebus uxoris, deflectit statuendo, eum teneri pro bona rerum illarum conservatione. De uxoris bonis a marito locandis similiter statuit quaedam Specimen 8), ac de locandi potestate usufructuarii statuit Codex 9). De ad-

1) Spec. art. 276 et 277; C. N. art. 1412 et 1413.
2) Donker Curtius l. s. pag. 134—137.
3) Spec. art. 287; C. N. art. 1424.
4) Donker Curtius l. c. pag. 141 et 142.
5) Spec. art. 288. C. N. art. 1428.
6) C. art. 160.
7) Spec. art. 237.
8) Spec. art. 289 et 290.
9) C. art. 819 et 820.

ministranda et obliganda communione variae jam sequuntur consecutiones et distinctiones, juri Napoleontico convenientes, quas omnes tractare specialiter nimis nos retineret 1).

§ 4. Communionis restrictae continuatio post alterius conjugis mortem locum non habet; secus igitur ac in communione universali juris sit; inventarii defectus conjugi superstiti adimit jus accipiendi, quaecunque aliter e liberorum reditibus petere potuisset 2); similiter Codex statuit, liberorum minorum bonorum usumfructum amittere conjugem superstitem, qui debitum facere inventarium neglexerit 3).

§ 5. Quae hoc loco de uxoris potestate renuntiandi communioni statuit Specimen, plerumque conveniunt his, quae Codex hoc de argumento continet. Jus illud competit tam uxori, quam ejus heredibus 4); cadit vero, si uxor bonis communibus sese immiscuerit, vel acto aliquo titulum assumserit, aut si uxor vel ejus heredes res quasdam communes abstulerint vel celaverint 5). Uxor superstes, renuntiandi potestatem retinere cupiens, intra tres menses post mortem mariti inventarium facere debet rerum communium, advocatis mariti heredibus et salvo horum jure contradicendi 6); praeterlapsis tribus illis mensibus, quadraginta adhuc dies uxori restant, ut cessionis actum in tribunalis graphium inscribere curet 7), quo temporis spatio non sufficiente, termini auc-

1) Spec. art. 291—299; C. N. art. 1431—1439.
2) Spec. art. 300.
3) C. art. 370.
4) Spec. art. 301; C. art. 187, 189, 193 et 208.
5) Spec. art. 302, 303 et 308; C. art. 191 et 192.
6) Spec. art. 304.
7) Spec. art. 305.

tionem a tribunale petere potest uxor 1), imo, licet hanc non petierit, vel petitam neglexerit, adhuc cessionem facere potest, dummodo exstet inventarium, cum hac tamen distinctione, eam considerari communionem adiisse, donec cessionem fecerit 2). Haec autem praesumtio tantum locum habet, si morte dissoluta est communio restricta; sin vero aut divortium aut separatio mensae et thori obtinuit, contrariam ponit Specimen praesumtionem, nempe uxorem, quae intra tres menses et quadraginta dies communionem non adierit, ei renuntiasse, nisi judex, audito vel advocato marito, longiorem indulserit terminum 3). Uxoris creditoribus jus facit Specimen 4) sese opponendi cessioni, in eorum fraudem factae, adeo ut ipsi communionem adire possint; vitium revera mihi videtur Codicis nostri, eum tale non continere praeceptum; privilegium enim cessionis uxori datur, ne personaliter teneatur pro aere alieno, a marito, tamquam communionis capite, contracto, non tamen ideo, ut occasio detur uxori decipiendi creditores, iisque pro lubitu adimendi securitatem, quam communio praebeat.

§ 6. Per tempus trium mensium et quadraginta dierum, ad inventarium faciendum et deliberationem concessum, uxor habet jus habitandae domus, in qua olim fuerat, et sese sicut etiam famulos alendi ex copia, quae exstat, vel, hac deficiente, per summam aliquam communioni mutuam comparandam 5), Reprehendendum hoc ideo mihi videtur, quod Specimen non distinguat inter-

1) Spec. art. 306.
2) Spec. art. 307.
3) Spec. art. 310.
4) Spec. art. 311.
5) Spec. art. 312.

casum, quo cesserit, et casum, quo adierit uxor communionem; in primo enim casu iniquum est privilegium illud uxori concedi. Adhuc, si de pecunia mutua accipienda quaestio sit, judicis interventionem requirerem.

§ 7. Transit jam Specimen ad communionis divisionem 1). Notandum in primis est uxorem prae marito ex communione sumere, quae ipsi debentur 2); — deinde, maritum, quae ei debentur, sumere tantum ex communione posse, uxorem vero haec persequi quoque in bona mariti, nisi communio sufficiat 3). Minus probo Speciminis praeceptum, quo mariti heredes tenentur impensas solvere vestium uxoris lugubrium; uxor enim judicet, an vestibus moerorem indicere velit, nec ne 4). Impensae obsignationis, inventarii faciendi, rerum mobilium venditionis, in communionem cadunt.

§ 8. Quod ad debita communionis uxor habet beneficium competentiae, dummodo bonum exstet inventarium; — maritus vero debitis communionis, ab eo contractis, in solidum obligatur, salva dimidiae debitorum partis repetitione; maritus tenetur tantum in dimidiam partem debitorum, quae uxorem personaliter spectant, et quae in communionem cadunt; ipsa uxor pro debitis hisce in solidum obligatur, salva dimidiae partis repetitione a marito; — contra debitis communionis non ultra dimidiam partem tenetur, nisi in solidum sese obligaverit 5). Distinctiones hae omnes cui bono sint, nisi

---

1) Spec. art. 314 sqq.
2) Spec. art. 318.
3) Spec. art. 319.
4) Donker Curtius, l. c. pag. 146 et 147.
5) Spec. art. 327—331.

ad turbandam lectorum mentem, et ad eos deterrendos a legis lectione, nescio 1).

§ 9. Certo mirandum est, Neerlandiae meridionalis incolas servare voluisse communionem legalem tam implicitam, explicatu difficilem, sanis principiis non nixam. Merito illam omisit Codex; illud tamen patet et recte ita permissum, etiam nunc conjugibus futuris patere jus, pactis nuptialibus talem sibi eligere communionem, dummodo recte eam describant et semper observent, pacta haec non posse adversari Codicis art[is]. 194—198.

CAPUT VIII.

DE PACTIS NUPTIALIBUS 2).

Quamdiu pacta nuptialia nihil contra statuant, jure Codicis communio universalis, secundum Specimen communio vel universalis vel restricta locum habet. His autem de pactis qui agit Speciminis titulus, in sex dividitur sectiones, quarum duae ulteriores, de „revocatione pactorum nuptialium" et de „pactorum nuptialium vi contra creditores" agentes, in Codicis titulo separatas non efficiunt sectiones sed quarum praecepta, quoad in Codice servata sunt, in prima tituli octavi sectione, quae generaliora pactorum nuptialium praecepta tradit,

1) Donker Curtius l. c. pag. 147—149.

2) L. Asser diss. laud. pag. 61—101; regtsgel. bijdr. IV. pag. 523—528.

occurrunt. Speciminis tituli sectio secunda regulas exhibet eorum, quae de potestate et administratione mariti et de communione statui possunt; hoc autem ita mutatum est in Codicis titulo, ut ejus sectio secunda duas contineat species, quibus discedatur a communione legali, quum generalia praecepta quaedam, quae sectio illa Speciminis secunda exponat, initio apposita sint primae sectionis Codicis tituli octavi.

SECTIO I.

De pactis nuptialibus generaliter et de his, quae in illis conveniri possunt de potestate et de administratione mariti et de communione.

§ 1. Ad pacta nuptialia ineunda aetate minores et curandi indigent auctoritate parentum, tutorum, curatorum 1). Recte addit Codex, quodsi nuptiae auctoritate judicis locum habeant, ejus quoque judicio submittendum esse pactorum nuptialium specimen; merito enim, qui parentum, tutorum, curatorum locum occupat in consensu nuptiis dando, quoque eorum loco, pacta nuptialia inquirere debet.

Pacta nuptialia perficienda sunt secundum Specimen acto authentico, secundum Codicem acto, coram notario facto 2).

§ 2. Allatio bonorum, a communione exclusorum, secundum Specimen, probanda est afficto pactis nuptia-

---

1) Spec. art. 342; C. art. 206. et 506.

2) Spec. art. 343; C. art. 202.

libus inventario, quod tamen quoque privatum (onderhandsch), clausum aut obsignatum fieri potest; inventario hoc, ejusve affictione omissa, bonorum allatio etiam aliis modis probari potest 1). Secundum Codicem vero, rerum mobilium allatio probari nequit nisi earum memoratione in pactis nuptialibus, aut in inventario, a notario et partibus signato et pactis nuptialibus affixto, quae hujus affictionis mentionem facere debent; unam tantum admittit Codex exceptionem, nempe quod attinet ad inscriptiones in libro majore aeris alieni nationalis et ad alia nomina, quae sub creditoris nomine inscripta sunt 2). Speciminis praeceptum quod et alium modum probationis admittit, recte non recepit Codex, illa enim fraudi multiplici ansam daret; — qui inventarii faciendi praeceptum legale neglexerit, habeat, quod sibi imputet; jus enim vigilantibus scriptum est. Specimen creditores permittit demonstrare vitium inventarii, attamen addit, id inter ipsos conjuges eorumque heredes semper vim habere 3). Codex vero talem distinctionem non continet, atque ex strictis art^{i}. 205 verbis „op geene andere wijze worden bewezen, dan" deducerem contrariam probationem excludi. Pactorum nuptialium immutabilitate post nuptias a legislatore posita, nihilominus Specimen 4) permittit uxorem, in gratiam creditorum mariti, cessionem facere pacti juris repetendi bona allata vel, constante matrimonio, acquisita, — aut hypothecarum, quas sibi in bona mariti pacta esset ad damnum evitandum. Hoc quum Codex non directe permittat uxori, ex ejus art^{o}. 204 vetitum mihi videtur, et quidem

1) Spec. art. 344—346.

2) C. art. 205.

3) Spec. art. 391.

4) Spec. art. 385.

recte sic mutatum puto, timendum enim esset quam maxime, ne maritus blanditiis, aut vi aut aliis conatibus illicitis uxorem ad hanc cessionem compellat. Alteram adhuc admittit Specimen exceptionem, quum statuat parentes, cognatos vel extraneos, qui dona sua pactis nuptialibus conjunxerint conditioni reversionis in casu conjugum mortis, huic reversionis spei semper renuntiare posse 1).

§ 3. Pacta nuptialia ut vim habeant contra tertios, transcribenda sunt secundum Specimen in librum, huic rei in regiminis municipalis secretario destinatum, et secundum Codicem in similem librum in tribunalis graphio (griffie) praesentem 2), quae facta est mutatio ad Ordinum Generalium petitionem, ut ita conveniat haec res cum principio Codicis, haec omnia esse subjicienda curae potestatis judiciariae 3).

Jubet deinde Specimen eos, qui in terra peregrina matrimonium inierint, pacta nuptialia, ut valeant contra tertios, transcribere debere in librum modo laudatum, quodsi huc redeant, aut veniant, iisque onus imponit transferendi bonorum allatorum inventaria, ibi facta, in secretarium regiminis municipalis et quidem intra mensem eorum adventus 4).

§ 4. Praeter praecepta illa, quibuscum pugnare pacta nuptialia tam Specimen, quam Codex vetat 5), alia quaedam nominat Codex, quae pactis illis mutari non licet, nempe jura, quae lex conditioni conjugis superstitis

1) Spec. art. 386.
2) Spec. art. 387; C. art. 207.
3) Voorduin l. c. II. pag. 380.
4) Spec. art. 392—394.
5) Spec. art. 348 et 349; C. art. 194—198.

injunxit 1). A regulis positis Codex admittit exceptiones. Permittit enim uxorem sibi pacisci rerum suarum administrationem et redituum usum, vel quoque illam, licet communio bonorum adsit, pacisci, ne bona sua immobilia, inscriptiones in libro majore aeris alieni nationalis, aliaque nomina, quorum creditor uxor inscripta sit (ten name der vrouw staande), ab ea allata, aut, constante matrimonio, ab ejus parte in communionem venientia, a marito alienentur vel obligentur sine uxoris consensu. Aequissime sic legislator uxori prospexit, quippe quae marito impedimentum opponere jam possit, ne omnia bona, ab ea provenientia, distrahat.

Exhibet deinde tam Specimen quam Codex species quasdam mutationum communionis legalis, quas pactis nuptialibus sibi pacisci possunt conjuges. Haec tamen omnia sunt tantum exempla, quum nihil impediat aliter quoque pacisci conjuges, nisi hoc pugnet iis, quae modo viderimus vetita. Uxor secundum Specimen pacisci potest, ut in nuptiarum dissolutione liberam habeat electionem, num bona sua allata, aut constante matrimonio acquisita recipere, an lucrum et damnum constante matrimonio natum participare velit 2). Praeceptum hoc, ex jure patrio desumtum, optime facere mihi videtur ad creditores decipiendos eorum que jus incertum reddendum 3).

§ 5. Exclusa lucri et damni communione, secundum Specimen manet adhuc communio fructuum et redituum 4); simile praeceptum quum non occurrat in

1) C. art. 195; Spec. art. 352.

2) Spec. art. 358.

3) De Groot l. c. II. 12. § 10; Bijnkershoek. quaest. jur. priv. II. 1.

4) Spec. art. 360.

Codice nostro expressum, contrarium quoque jure nostro valet 1), atque ut igitur communio haec constituatur, jure nostro expressum requiritur pactum.

Ex oratione ampl. Nicolai 2) patet, communionem lucri et damni et communionem fructuum et redituum sic differre, ut ab illa excludantur tantum debita ante nuptias contracta, ab hac vero omnia debita. Ceterum igitur hae communionis species conveniunt; sed inde patet, communionem hanc fructuum et redituum arctioriribus finibus circumscribere Specimen, quam Codicem; ex illo enim ab ea excluduntur, quae ex proprio cujusque conjugis labore et ardore proveniunt 3).

§ 6. Simile Codex exhibet praeceptum quod attinet ad communionem lucri et damni, et communionem fructuum et redituum, quale Specimen in casu communionis restrictae 4). Jubet enim dominium rerum mobilium, quae constante matrimonio ad conjugem pervenerint ex hereditate, legato aut donatione probari inventario; hoc et aliis scripturis deficientibus, maritus ad probationem non amplius admittitur, — uxor vero res suas esse adhuc testibus aut generali cognitione probare potest. Rectius etiam fecisset legislator noster, si praeceptum illud primae hujus tituli sectioni apposuisset, ut ita generaliorem effectum nactum fuisset.

§ 7. Jure Napoleontico uxor legalem habebat hypothecam in bona mariti 5); mutato autem hypothecarum systemate, jure nostro pacisci quidem sibi potest uxor

1) de Pinto l. c. II. pag. 104.
2) Voorduin l. c. II. p. 390.
3) Spec. art. 360; C. art. 219.
4) Spec. art. 279; C. art. 221.
5) C. N. art. 2121.

hypothecam, non amplius vero ei hypotheca legalis conceditur. Specimen autem, quod legalem aliquam hypothecam adhuc admittit, hanc tamen uxori non concedit, immo jus illud hypothecae paciscendae arctius etiam definit, quam Codex noster, quum id uxori tribuat tantum, si lucri et damni communio exclusa sit 1). Quod supra jam monui, et hic repeto; conjuges debere habere quam liberrimam licentiam pactorum nuptialium conscribendorum.

§ 8. Vidimus supra, secundum Specimen continuari posse communionem universalem post mortem alterius conjugis; idem et quidem eodem modo admittitur in communione lucri et damni 2). Jure nostro distinctiones illae introductae non sunt, sed communio semper potest continuari secundum art^{i}. 466 modos.

§ 9. Sic etiam jus renuntiandi communioni, quod Specimen uxori in quibusdam tantum communionis speciebus concedit, jure nostro ei competit, qualiscunque pacta sit communio 3).

§ 10. Responsabilem reddit maritum Specimen pro administrandis uxoris bonis, quae extra communionem manserunt, similiter ut in communione restricta 4), unde sequitur, generalem Speciminis art^{i}. 237 regulam, maritum pro hisce non esse responsabilem, ad nihil fere reduci.

---

1) Spec. art 1533 et 362.
2) Spec. art. 365.
3) C. art. 208.
4) Spec. art. 369 et 288.

SECTIO II.

De pactis dotalibus.

§ 1. A principiis de donationibus universe positis in gratiam matrimonii deflectit aliquantum Codex statuendo, donationes, pactis nuptialibus factas, valere et sine expressa acceptatione ejus, cui datae sunt, illasque fieri posse sub conditionibus, quae a donatoris voluntate pendent 1).

§ 2. Rerum praesentium et certarum donatio, pactis nuptialibus facta, secundum Codicem est irrevocabilis, nisi deficiat conditio, a qua pendeat 2). Specimen vero quum hasce donationes iis, quae infra de donationibus dicantur, submittat, etiam quod ad revocabilitatem attinet principium, ibi positum, assumit 3). Equidem puto recte facturum fuisse legislatorem nostrum, quum etiam Codicis art^{i}. 1725 n^{um} 2 ad hunc casum extendisset; hanc enim causam revocabilitatis deficere, pugnare mihi videtur cum omni sensu honesti et decori.

§ 3. Quod ad donationes totius hereditatis vel partis ejus attinet, hae quoque sunt irrevocabiles, nisi deficiente conditione 4); ex Speciminis art^{o}. 372 quoque deduci potest, etiam art^{um} 1610 huc pertinere, quo recte suppletur id, quod de talium donationum irrevocabilitate dictum est. Haec autem exceptio, modo jam animadversa, hic quoque desideratur; Codicis enim art^{us} 959 non nisi effringendo legis verba ad hunc casum applica-

1) C. art. 225 et 226.

2) C. art. 227.

3) Spec. art. 2381.

4) Spec. art. 372 et 383; C. art. 228.

ri potest. Hoc autem loco irrevocabilitatem Codex ita intelligit, ut salvum maneat donatori jus de rebus donatis agendi titulo oneroso, immo et titulo gratuito quod ad summas exiguas in renuntiationem aut alias ob causas, a judice dijudicandas; Specimen vero quum hac de re nihil statuat, mihi videtur ex eo donatorem, donata aliqua hereditatis portione, adhuc quocunque titulo inter vivos disponere posse de bonis, in generali hac dispositione comprehensis.

§ 4. Statuit Specimen conjuges sibi invicem, aut ab altera tantum parte pacisci posse certam aliquam summam aliamve rem, quae conjugum altero mortuo, ab altero ex illius hereditate praecipi possit; et addit talem donationem cadere, si superstes conjux heres scriptus sit sub conditione et sub hac hereditatem adierit, ea, quae in ejus obitu ex ejus hereditate reliqua erunt, inter utriusque heredes divisum iri ut hereditatem communem 1). Donum illud, Neerlande douarie dictum e jure patrio receptum esse demonstrat ampl[s]. v. Hamelsveld 2). Pactum tale jure nostro non admitterem; continet enim legatum quod Codex pactis fieri nuptialibus non sinat; permittit quidem Codex 3) donare portionem hereditariam pactis nuptialibus, sed exceptio haec sua natura est strictissimae interpretationis; Specimen legata quoque fieri pactis nuptialibus permittit 4).

---

1) Spec. art. 373 et 374.

2) l. c. I. pag. 222—225; de Groot l. c. II. 12. § 16.

3) C. art. 224.

4) Spec. art. 372.

SECTIO III.

De donis, quae alii faciunt futuris conjugibus eorumve liberis, ex illorum matrimonio procreandis.

§ 1. Quas donationes conjuges sibi invicem facere possunt pactis nuptialibus, similes simili modo futuris conjugibus facere possunt alii. Hasce donationes fieri quoque permittit Codex acto speciali, coram notario ante nuptias perficiendo, quo tamen casu expressa requiritur acceptatio 1); — haec quoque exeeptio a jure communi in favorem nuptiarum admissa est.

Nisi contrarium appareat, dona haec secundum Specimen censentur a parentibus et cognatis promissa esse illi conjugi, qui iis proximi junctus est, — a cognatis, qui utrique conjugi aeque proximi sunt, et ab extraneis, utrique conjugi in solidum 2). Haec autem praesumtio in Codicem recepta non est, adeo ut jam ex ipsis pacti verbis donatoris animus et voluntas deducendi sint.

§ 2. Dona annua, menstrua et quae per hebdomades fiunt, secundum Specimen 3) praestare desinunt:

1°. morte promittentis. Idem valet jure nostro; aliter dona haec ad legata redirent, quae non nisi testamento fiant.

2°. utriusque conjugis morte non relictis descendentibus. Ipsa pacti verba jure nostro rem decidere debent.

3°. dissolutione matrimonii, ex quo non supersunt descendentes; hoc patitur exceptionem in casu divortii, hic enim dona perdurant, in commodum conjugis, in

1) C. art. 231 et 232.
2) Spec. art. 376.
3) Spec. art. 378.

cujus gratiam facta sunt; idem obtinet, nuptiis annullatis, in favorem conjugis, qui in bona fide esset 1). Quod statuit Specimen de divortio, idem obtinet jure nostro, quum dissolutum sit matrimonium divortio aut judicis sententia post separationem mensae et thori 2); licet generalem regulam, qualem Specimen in arti 378 n°. 3 ponat, non contineat Codex expressis verbis, eam nihilominus valere, argumento a contrario ex ejus art^is 283 et 301 deducendum est.

4°. morte conjugis in cujus favorem promissa sunt. Quin idem valeat jure nostro, dubium esse nequit 3).

CAPUT IX.

DE DONATIONIBUS INTER CONJUGES.

§ 1. Qualis Speciminis titulus octavus est, peculiaris titulus in Codice nostro non occurrit. Unum tamen continet Codex praeceptum quod donationes constante matrimonio inter conjuges fieri vetat, exceptis tamen donis rerum mobilium corporalium, quarum pretium pro donatoris facultatibus non est immodicus 4). Mutatio haec recte facta videtur, locus enim de donationibus

1) Spec. art. 448 et 216.

2) C. art. 283 et 301.

3) Donker Curtius, l. c. pag. 165 et 166.

4) C. art. 1715.

pertinet ad librum tertium, et quum ab eo ordine discedatur quod ad pacta nuptialia, exceptio haec arcte circumscribenda est 1). Donationes illas Codex Napolionticus admittebat, licet semper revocari possent 2); recte eas jam prohibitas esse puto; saepius enim minime orirentur ex libera donatoris voluntate, sed excuterentur vi, minis vel blanditiis 3). Admittenda tamen omnino videtur laudata Codicis exceptio, quae ad res relative tantum exiguas pertineat, quarum donationem prohibere difficillime potuisset legislator, quum, etsi prohibita, tamen fieret 4).

§ 2. Primo loco Specimen ponit: esse omnes inter conjuges donationes prohibitas, adeo ut res donata, licet tradita, in dominio maneat donatoris; praeterea quum rem donatam non amplius possideat donatarius, ad resarcitionem tenetur, in quantum donatio in rem versa est 5); aeque prohibitae sunt donationes illae, etsi in fraudem legis interventu aliorum perficiuntur; — similiter prohibentur omnes actus conjugum, hoc consilio perfecti, ut sibi invicem commoda afferrent, sub qualibet specie 6). A posito illo principio recedit Specimen. Donationes memoratae enim secundum hoc omnem adquirunt vim, si donator, non revocata donatione, prae donatario moriatur, unde sequitur Specimen considerare illas tamquam legatorum species 7).

Ulterius etiam procedit Specimen, quum praesumat,

1) Donker Curtius l. c. pag. 173 et 174.
2) C. N. art. 1096.
3) Van Hamelsveld l. c. I. pag. 250—252.
4) de Pinto, l. c. II. pag. 568 et 569.
5) Spec. art. 395 et 396.
6) Spec. art. 397—399.
7) Spec. art. 400.

quodsi uterque conjux eodem quodam casu mortuus sit, neque pateat, uter prius obierit, donatorem tunc primum defunctum esse 1). Quare praesumtio haec, donationibus tam favens, assumta sit sontra generalem art[i] 90 regulam, non recte perspicio. Licet enim causa quaedam esse fortasse possit, cur in gratiam ipsorum conjugum discedatur a regula, quae donationes inter conjuges vetet, ulterius ab illa regula quoque in gratiam heredum recedere necessarium non puto 2). Quod statuat Specimen donationes, donatoris morte confirmatas, esse non posse damno hujus creditorum, eorumve quibus debeatur portio legitima, similiter statuitur quod ad legata 3). Donationes, de quibus agitur, revocari possunt expresse vel tacite, cui revocationi uxor non indiget mariti consensu; tacite revocata habetur donatio, quum donator rem postea alienaverit, aut de ea aliter statuerit testamento, morte confirmato, aut si nuptiae divortio dissolutae sint, aut, vivo donatore, nullae declaratae vel annullatae sint 4).

1) Spec. art. 401.
2) Donker Curtius l. c. pag. 176 et 177.
3) Spec. art. 2040. n°. 2° et 6°, et 402.
4) Spec. art. 400, 403—406.

CAPUT X.

DE SECUNDIS NUPTIIS 1).

§ 1. Quae Specimen hoc loco statuat in art[is] 408 et 409, perperam huc apposita mihi videntur, rectius legerentur in titulo, qui de nuptiarum dissolutione agat, aut, sicuti noster fecerit legislator, in titulo qui absentiam tractet; ad hunc igitur Codicis locum videbimus, quid Speciminis art[i] 408 et 409 statuant.

§ 2. Supra 2) jam vidimus, Specimen conjugi superstiti, minoris aetatis habenti liberos ex matrimonio priore, vetare novas inire nuptias, ante quam sstisfecerit art[is]. 411—416; quid autem statuant articuli illi hujus loci est videre. Quod autem hic dicat Specimen 3), viduum novo ineundo matrimonio non, viduam eo ipso omnino amittere liberorum suorum bonorum tutelam, ad hunc locum non pertinet, sed rectius in loco de tutela statueretur, ubi revera eadem praecipiuntur. Viduus, tutor liberorum aetate minorum bonaque eorum materna solus administrans, antequam novas nuptias ineat, eorum, quae illis ex hereditate materna debentur, rationes, nisi jam ante redditae sint, reddere debet tutori tutoribusve partiariis, a camera pupillari, aut regimine municipali creandis 4). Sic quoque vidua, unica liberorum bonorum tutrix, antequam novum contrahat matrimo-

1) Asser diss. laud. pag. 120—123; regtsgel. bijdr. IV. pag. 529; Ned. jaarb. VIII. pag. 215—231.

2) Cp. V. Sect. I. § 1.

3) Spec. art. 411 et 414.

4) Spec. art. 411.

nium, tutori tutoribusve, a camera pupillari, aut regimine municipali creandis, bonorum illorum rationes reddere eorumque administrationem tradere debet 1). In quantum vero inter superstitem conjugem et liberos continuata sit communio, tutores in casu secundi matrimonii creandi non tenentur postulare perfectum fieri inventarium, sed possunt post summariam (summier) hereditatis inspectionem rationes transactionis modo accipere, ita ut in gratiam librorum certa summa aliave res constituatur 2). Quum conjux superstes non sit tutor vel non unicus tutor, requiritur, antequam novum ille ineat matrimonium, ut perficiatur inventarium, reddantur rationes et separatio fiat, nisi haec omnia jam olim locum habuerint 3). Codex quoque conjugem superstitem, antequam novas hic contrahat nuptias, inventarium bonorum minoris offerre jubet tutori subrogato, et quidem sub poena tutelae amittendae 4). Specimen praecepta sua nuptiarum prohibitione confirmans, ideo praefero, quod conjugem superstitem plus adstringat ad praecepta illa observanda.

§ 3. In nuptiis secundis et posterioribus etiam bonorum communio universalis locum habet, nisi pacta nuptialia contrarium statuant; id licet per se jam pateret, repetit tamen Codex 5). Secundum Codicem autem nova haec communio, quum exstant liberi ex priore matrimonio, novo conjungi majus commodum afferre nequit, quam valorem portionis legitimae, uni horum liberorum

1) Spec. art. 415.

2) Spec. art. 412 et 415.

3) Spec. art. 413 et 416.

4) C. art. 407.

5) C. art. 235.

debitae, quum commodum illud quartam hereditatis partem excedere numquam potest 1). Specimen vero plane admittit utriusque conjugis bona commisceri 2), atque ita perperam omnino statuit, quum ingens hoc damnum liberis, e priore matrimonio natis, creare possit 3); unam tamen facit Specimen exceptionem quod ad communionem restrictam, quae assumta novo conjugi lucrum afferre nequeat majus, quam portio valeat legitima unius liberorum, e priore matrimonio natorum 4). Jure Codicis nec pactis nuptialibus plus dari potest, quam valor portionis legitimae, uni priorum liberorum debitae, nec umquam plus, quam quartam hereditatis partem 5). Specimen quoque conjugem superstitem, descendentes habentem ex priore matrimonio, prohibet aut ante novas nuptias, aut post eas contractas, novo conjugi plus dare, quam portio legitima, uni liberorum debita, valeat 6). Plus autem, quam permissum vidimus, dari potest ne interventione quidem aliarum personarum aut actibus simulatis 7). Quasnam intelligat personas intervenientes, enumerat Codex, nempe liberos, e priore conjugis matrimonio natos, et cognatos, quorum conjux donationis tempore verisimiliter heres erat, etsi hic cognato donato non supervixerit 8). Quod dicit Specimen, num donatio licita sit an illicita, illud dijudicandum esse pro momen-

1) C. art. 236.

2) Spec. art. 419.

3) Donker Curtius, l. c. pag. 180—182; v. Hamelsveld l. c. I. pag. 264 et 265.

4) Spec. art. 340.

5) C. art. 237.

6) Spec. art. 417.

7) Spec. art. 418 et C. art. 238.

8) C. art. 239.

to mortis conjugis, qui novas contraxerit nuptias 1), — licet hoc loco Codex non dicat, tamen adhuc ita esse praesertim mihi probat Cod. art[us]. 968, secundum quod legitima portio computanda est pro ipso tempore testatoris mortis.

CAPUT XI.

DE NUPTIARUM DISSOLUTIONE 2).

Titulus sic inscriptus, mea saltem opinione, primo loco enumerare omnes modos, quibus dissolvuntur nuptiae, — atque deinde unumquemque horum modorum accuratius tractare debet, — ut ita aliquis tamen servetur ordo systematicus, qui non plane in lege negligendus est. Nec tamen Specimen, neque Codex his satisfecerunt requisitis. Primo enim loco inter modos dissolutionis non memoratur nuptiarum annullatio, quam ad illos referre non dubitarem neque de illa hic agitur omnino; hoc me non plane inepte dicere probat quoque Codex Napoleonticus, Hollandiae regno accommodatus, qui nuptiarum nullitatem et divortium eodem tractat titulo 3). Ad modos nuptiarum dissolutionis refertur quoque alterius conjugis absentia per decennium eamque secutum, judiciali sententia permissum, novum matrimo-

1) Spec. art. 420.

2) L. Asser, diss. laud. pag. 101—113; regtsgel. bijdr. IV. pag. 530—533; Eekhout diss. de matrim. dissolut. Gron. 1839.

3) C. L. N. tit. VI.

nium alterius conjugis; hoc autem minus recte ita scriptum puto, nunc enim conjux secundarum nuptiarum denuntiationem facere potest ante priorum dissolutionem, quod moribus honestique sensui repugnat; melius statueretur, nuptias priores dissolvi alterius conjugis per decennium absentia, eamque secutum judiciale nuptiarum novarum permissum, licet addi posset judicis sententiam vim amittere, quum conjux absens ante novum alterius conjugis perfectum matrimonium redeat 1). Praeter tres illos modos dissolvendi matrimonii, quos etiam Specimen 2) enumerat, alium adhuc assumit Codex 3), nimirum judicis sententiam post separationem thori et mensae redditam secundum art[orum] 255—261 praecepta.

SECTIO I.

De nuptiarum dissolutione post thori et mensae separationem.

§ 1. Dissolutionem hanc Codice nostro sancitam improbandum esse censeo. Divortia certas ob causas, a judice probandas, admisit legislator noster; ut vero subveniret iis, quibus divortio interdicerent sacra, permisit praeterea mensae et thori separationem 4). Haec autem separatio licet per se spectata mihi non placeat, recte tamen admissa mihi videtur ob causam allatam; cui ta-

1) Donker Curtius, l. c. pag. 201—203.
2) Spec. art. 422.
3) C. art. 254.
4) Voorduin l. c. I. pag. 209 et de Pinto l. c. I. pag. 40 et 41.

men bono jam sit posse nuptias ita separatas postea plane dissolvi quum eos, in quorum gratiam separatio introducta sit dissolutionem illam petere sacra vetant, equidem non intelligo; quod enim attinet ad eos, quibus divortia quidem permittunt sacra, qui tamen thori et mensae separationem eligere maluerunt, hi de se ipsis queri debent, si jam jure careant, quod spreverint. Hoc etiam contra dissolutionem illam dici potest, sic aliquomodo conjuges mutuo consensu nuptias dissolvere posse, licet divortia mutuo perfici consensu permittere noluerit legislator noster 1). Talem autem contradictionem in lege probare non possum; sciat legislator, quid sibi velit; divortia mutuo consensu fieri permittat aut vetet; sin ea vetuerit, non sinat conjuges nihilominus per viam indirectam mutuo consensu discedere.

§ 2. Videamus jam, quid hac de re statuat Codex. Quum separatio thori et mensae per quinquennium perduraverit sine conjugum reconciliatione, alter alterum in jus vocare poterit et postulare nuptiarum dissolutionem 2); actori statim interdicetur intentio, quum reus, legali modo ter evocatus, non compareat, vel comparens recuset, aut se ad reconciliationem paratum monstret 3). Reo concedente, conjuges reconciliare unus pluresve judices conabuntur bis, — et quidem secunda vice, advocatis proximis conjugum adscendentibus 4). Omnibus hisce peractis, nec reconciliatione perfecta, auditis judicibus, qui reconciliationem tentarunt,

1) Ned. jaarb. III. pag. 631 et 632; G. Everts. comm. de div. quod mutuo fit conjugum consensu. Gron. 1834. p. 38—49, 88—91.

2) C. art. 255.

3) C. art. 256.

4) C. art. 257.

et ministerio publico, tribunal aut sententiam definitivam reddet, aut rem adhuc per sex menses differre poterit 1); a tribunalis sententia intra mensem appellari potest 2). Intra sex menses post diem, quo in rem judicatam abiit sententia, hanc inscribi curet alter aut uterque conjux tabulis status civilis sui domicilii sub poena, sententiam omni vi destitutum iri, quum eandem ob causam dissolutio peti non poterit 3). Licet hoc modo dissolutum sit matrimonium, omnes separationis sequelae legitimae, vel separationis, mutuo consensu perfectae, conditiones, ante a conjugibus confectae, vim habere pergunt 4).

SECTIO II.

De divortio 5).

§ 1. Multum in Ordinibus Generalibus disputatum est, num admitteretur divortium, nec ne. E Neerlandia meridionali deputati divortium in legem recipere nolebant, quippe suae religionis praeceptis repugnans 6). Recte tamen permisit divortium legislator noster, quum iniquum videretur unam populi partem jure aliquo privari, quia altera pars eo uti non posset peculiarem ob-

1) C. art. 258.
2) C. art. 259.
3) C. art. 260 et 276.
4) C. art. 261 et 292 et 301.
5) v. Goudoever diss. de divortio sec. C. C. Neerl. — Traj. 1839.
6) Voorduin, l. c. II. pag. 436—451.

causam 1). Adhuc querebantur deputati, qui religionem Romano-Catholicam profitebantur, sic hujus quoque religionis cultoribus legem concedere jus divortendi, cujus facultatis dationem adversari contendebant legi imperii, quae inter variorum sacrorum cultores nullum faciat discrimen, neque igitur sinat legem fieri, quae jus det alicujus religionis praeceptorum violandorum. Ut animadversionibus hisce subveniretur, proposuit ampl[s]. Donker Curtius 2), ut statueret certus Codicis articulus, praecepta de divortio non pertinere ad illos, quibus, nuptias ut sacramentum spectantibus, earum dissolutionem prohiberet religio. Licet autem haec dubia speciem aliquam veritatis habeant, mox tamen hanc evanescere puto, dummodo paullo accuratius inquiramus. Lex enim nuptias considerat tantum quod ad earum relationes civiles 3); hoc ipso principio nititur omnis juris nostri locus de nuptiis; quum igitur lex admittat divortium, minime statuit illo scindi posse matrimonii confirmationem religiosam vel sacramentum, sed tantum id, vinculum, lege civili junctum, quod ad ejus effectus civiles disjungi rursus posse. Quomodo hoc alicujus religionem laedere possit, equidem non capio; praeterquam enim, quod nemo ad divortium cogatur, — si quis Romano-Catholicus contra conjugem, eorundem sacrorum cultorem invitum a judice petierit et impetrarit divortium, illud hujus conjugis conscientiam gravare nequit; judex enim non dissolvit religiosum matrimonii vinculum, neque hoc facere potuit, sed illud vinculum tan-

1) Voorduin l. c. I. pag. 208 et 209; De Pinto, l. c. II. pag. 114—116.

2) l. c. pag. 119 et 187—192.

3) C. art. 83.

tum civile, quod olim ipse magistratus civilis conjunxerat. Quum igitur hujus conjugis sacra ferant matrimonium dissolvi non posse, consideret ille matrimonium hocce ut adhuc exstans, neque novas ineat nuptias. Plus puto, praeceptum, quale proposuit ampl. Donker Curtius, lege imperii prohiberi; introduceret enim inter variorum sacrorum cultores discrimen, — quibusdam jus divortendi tribuendo, aliis vero idem jus recusando, — quod lex illa imperii non sinit.

§ 2. Transeamus ad ipsa de divortio praecepta. Quod dicit Codex divortii actionem intendi non posse, nisi coram tribunale domicilii mariti, — aut, in casu desertionis malitiosae, coram tribunale domicilii communis, desertionis tempore, postremi, minus recte huc appositum est 1), et rectius ad Codicem de methodo procedendi in causis civilibus referretur.

§ 3. Quod ad divortii causas discrimina Specimen inter et Codicem occurrunt haec 2):

1°. quod secundum Specimen etiam ob incestum contra naturam divortium peti possit; satis gravem hancce divortii causam non admisisse legislatoren nostrum improbandum mihi videtur;

2°. quod secundum Specimen vulnerationes non sufficiant, nisi praemeditate et insidiose commissae sint; quod praeter vulnerationes etiam cruciationes (mishandelingen) nominat Codex; quod haec secundum Specimen divortii causa sit, non tantum quum ab altero conjuge delicta haec perpetrata sint in alterum conjugem; sed etiam quum in hujus parentes liberosve commissa sint. Ultimam hanc extensionem minus lubenter assumerem; cete-

1) C. art. 262 et 266.

2) Spec. art. 425 et C. art. 264.

roquin puto causam, de qua agimus tam in Specimine quam in Codice finibus nimis arctis circumscriptam esse; sunt enim vexationes quaedam continuae, injuriae graviores, quae in hujus articuli verba non cadunt; quae tamen ad divortii causas merito referrentur 1).

Statuit Specimen, quod si quis conjux divortium petat ob adulterium aut vulnerationes, ab altero conjuge illatas, atque hic hanc ob rem ultima judicis sententia condemnatus sit, tunc grossam hujus sententiae, tribunali traditam, sufficere ad intentionem probandam 2). Hoc vero Speciminis praeceptum abundat, quum generalem jam ponat regulam ejus art^{us} 3447, sententias poenales definitivas vim habere rei judicatae 3) in gratiam illorum, quibus propter illud delictum actio civilis incondemnatos competat. Grossam rei judicatae poenalis in casu adulterii sufficere dicit quoque Codex 4), quod tamen ibi superfluum non est, quum generalis sit Codicis 5) regula, rem judicatam poenalem juris tantum praesumtionem creare, minime vero praesumtionem juris et de jure 6). Quod vero addit Codex 7), judicis sententiam sufficere etiam, si divortium ob condemnationem ad poenam infamantem petatur, plane absurde appositum mihi videtur; res enim per se patet, quodsi divortium peti possit propter condemnationem ad poenam infamantem, tunc non tantum sufficere judicis sententiam, qua illud unice probari possit, sed magis etiam, aliud requiri non

1) Donker Curtius, l. c. pag. 204—206
2) Spec. art. 426 et 429.
3) Spec. art. 3427.
4) C. art. 265.
5) C. art. 1955.
6) De Pinto, l. c. II. pag. 121.
7) Spec. art. 265.

posse. Porro addit Specimen 1) divortium propter incestum contra naturam peti non posse, nisi exstet judicialis sententia, quae coujugem hujus delicti sontem declaret; quum tamen admissus sit incestus hic nefandus ut causa divortii, non video, cur ejus probatio arctis hisce finibus sit circumscribenda; causa esse videtur, ne lis impudica oriatur, atque ut moribus parcatur. Num tamen moribus non magis parcitur, si facinus istud divortio puniatur, quam si conjux delinquens turpem vitae consuetudinem continuet? Quod ad desertionem malitiosam illud occurrit discrimen, Codicem 2) expresse requirere spatium quinquennale, quum certum tempus non postulet Specimen 3). Mutatio autem haec omnino probanda videtur 4), quum nimium judicis potestati relinqueret Specimen; et hac ipsa mutatione unica cadit dubitatio, quam movet ampl. v. Hamelsveld 5), num hic perimatur ratio, cur uxori novum matrimonium intra certum tempus post prioris dissolutionem interdicatur, nec ne, — atque omnino puto tempus illud requirendum non esse, quodsi divortium ob desertionem malitiosam obtinuerit. Porro statuit Codex divortii actionem propter desertionem malitiosam perimi, quum conjux absens ante divortium pronuntiatum in domum communem redeat 6), quum Specimen facultatem tantum judici tribuat interdicendae divortii intentionis ob voluntatem, a conjuge desertore manifestatam, iterum sese cum al-

1) Spec. art. 426.
2) C. art. 266.
3) Spec. art. 427.
4) Donker Curtius. l. c. pag. 204.
5) l. c. I. pag. 259 et 230.
6) C. art. 273.

tero conjuge conjungendi. Hic igitur non ipso jure tollitur actio divortio, sed eam judex pro temporibus interdicere potest, nec ne; idque longe praeferendum videtur, quum tali ratione impedimentum aliquod objiciatur conjugis desertoris fraudibus malitiosis. Cavet tamen Codex, ne semper hoc modo conjux relictus fallatur, statuendo, quodsi hunc iterum deserat conjux alter, illum tunc, sex mensibus elapsis, eandem obcausam novam intendere posse actionem, quae tunc novo conjugis reditu non perimatur. Jus divortii petendi ob condemnationem ad poenam infamantem tollitur secundum Specimen lapsu anni, secundum Codicem lapsu sex mensium; idem statuit Codex in casu adulterii 1). Specimen porro divortii actionem perimit in casibus vulnerationum et condemnationis infamantis art^{i} 425 $^{n^o. 3 et 4}$, quum alter conjux alterius conjugis delictorum sons vel conscius est 2). Haec autem legislator non assumsit 3), et quidem quod ad casum condemnationis infamantis recte, hic enim ipse conjux condemnatus queri non potest se junctum essa alicui, qui condemnatus est; quod vero ad casum vulnerationum attinet, hic eo magis divortium admitterem, quum res manifesto demonstrent, conjuges omnino non conjunctos vivere posse 4); hoc tamen praeceptum lubenter in legem reciperem, quodsi conjux actor ipse quid commiserit, quod divortii causam praeberet, tunc Codicis art^{i} 277 et 278 regulam adeo mutari, ut conjux uterque commoda, sibi ab altero conjuge promissa, amitteret; aequum quoque esset, aliquas fieri mu-

1) Spec. art. 434.
2) Spec. art. 430.
3) Voorduin l. c. II. pag. 460—462.
4) Donker Curtius l. c. pag. 208.

tationes quod ad commoda, quae conjugi actori, ut innocenti habito, concedantur. Jus divortii petendi perimitur conjugum reconciliatione 1); addit tamen Codex, quodsi postea nova oriatur causa, conjugem tunc ad intentionem probandam uti posse causis antiquis 2).

§ 4. Jure Napoleontico 3) valebat regula, nuptias ab eodem, qua eas copulaverat, nempe magistratu status civilis, esse dissolvendas, praecedente tamen judicis senteutia, quae hoc permittat; qui divortium a judice petierat, intra duos menses coram magistratu status civilis apparere debebat, quo omisso, judicii vis tollebatur. Hoc autem legislator anni 1838 adeo mutavit, ut requirat tantum sententiam, quae divortium pronuntiaverit, ad petitionem unius vel utriusque conjugis inscribi in tabulas status civilis eorum domicilii intra sex menses, computandos inde a die, quo in rem judicatam abierit sententia; quodsi omissum sit, sententiae vis tollitur, nec iterum eandem ob causam divortium peti potest 4). Concedendum quidem est, legislatorem sic via simpliciore eundem consequi finem, — non tamen in systemate Francico hanc reperio absurditatem, quam vituperat doct[s]. Asser 5): nihil enim naturae magis conveniens est, quam dissolvi matrimonium ab eodem, qui illud junxerit. Specimen autem praeceptum, quale Codicis art[i]. 276, non continere, vera mihi videtur esse lacuna.

§ 5. Uxor a judice petere potest, ut, lite pendente,

---

1) Spec. art. 432; C. art. 271.
2) C. art. 272.
3) C. N. art 264—266.
4) C. art. 276.
5) L. c. pag. 129.

separatim a marito habitet, addit Specimen 1), judicem tunc locum habitationis statuere posse; hanc autem judicis facultatem mutavit Codex 2) adeo, ut judex jam debeat hac de re diserte statuere. Ex Ordinum Generalium deliberationibus 3) apparere mihi videtur, illos judici adimere voluisse jus uxoris petitionis recusandae; num hoc tamen ipsa legis verba demonstrent, dubium mihi est, ceterum si hoc sensu interpretari liceat, laudanda videtur haec mutatio, durissimum enim est, judicem uxorem cogere posse in domo mariti manere. Alimentationem provisionalem a marito, pendente lite, sibi praestari uxor a judice petere potest 4); addit Codex, hujus alimentationis jus uxori adimere posse judicem, immo hunc uxorem, si sit actor, declarare posse non recipiendam (niet ontvankelijk) in actione peragenda, quum haec domum, sibi demonstratam, sine judicis permisso relinquat. Ultimum hoc absolute statutum durissimum sane esset; facultative tantum quum sit positum, aequum et utile esse potest. Conjux, divortium petens, secundum Specimen intentioni injungere potest conclusionem, ut sibi post bonorum separationem et divisionem alimenta praestet conjux alter 5). Haec autem petitio secundum Codicem non absolute conjungenda est intentioni principali, et quidem recte; fieri enim potest, actorem, praesertim quum sit uxor, fortunam suam statim ignorare, neque igitur scire, num sibi alimentis, aut quantis, opus sit 6). Minus probandum mihi vide-

1) Spec. art. 436.
2) C. art. 267.
3) Voorduin l. c. II. pag. 465 et 466.
4) Spec. art. 437 et C. art. 268.
5) Spec. art. 440.
6) C. art. 280; et Voorduin l. c. II. pag. 475.

tur, quod e Codicis verbis jam sequatur alimenta concedere posse judicem, etsi petita non sint; jus enim vigilantibus scriptum est. Deminutis debitoris facultatibus, aut creditoris indigentia decrescente, alimenta etiam minui possunt 1). In casibus contrariis etiam alimenta augeri concedit Specimen; hoc autem Ordines Generales rejecerunt, sed, ut mihi videtur, perperam; cogita enim casum, quo conjugi actori exigua tantum et tenuissima alimenta concessa sint, quia conjux alter non multo plus quam necessarium habeat; postea conjux, opulentissima acquisita hereditate, in abundantia et luxuria vivere coepit; durissimum certe hoc casu est, conjugem alterum, a conjuge altero jam olim infelicem redditum, videre debere conjugem pristinum omnia habere commoda et delicias, quas divitiae parere possint; quum ipse, vix habens, unde vivat, miseram vitam et egenam vivere cogatur.

§ 6. Ipso hoc loco liberis prospicit Codex 2) praecipitque generalem regulam, liberos manere debere apud conjugem, qui divortium petiit, salvis hujus regulae restrictionibus et mutationibus. Specimen vero hac de re cavet in loco, qui de liberis legitimis parentumque in eos potestate agit 3). Eadem Codicis regula secundum Specimen valet, si divortium pronuntiatum sit ob incestum nefandum, aut ob condemnationem infamantem vel vulnerationes, in ejus artⁱ. 425. n°. 3° et 4° memoratas; ceteris vero in casibus conjuges inter se hac de re convenire possunt sub judicis approbatione, aut alter conjux a judice petere potest, ut omnes vel quidam liberi sibi educandi tradantur, qualis petitio non, nisi audito altero

1) Spec. art. 442, C. art. 281.
2) C. art. 284 et 285.
3) Spec. art. 514—518.

conjuge, et, hoc contradicente, non, nisi gravissimas ob causas indulgebitur. Nihil quum hac de re conventum vel statutum sit, liberi mares, septennio majores, apud patrem, — septennio minores et feminini sexus liberi apud matrem manere debent; — liberi mares, simulac septimum aetatis aunum impleverint ad patrem transibunt. Discrimen illud cum Specimine introductum pro variis divortii causis probare nequeo. — Is, cujus curae liberi mandati sunt, secundum Specimen solus quoque potestatem parentalem exercet, et recte sic statutum est, quia conjux alter horum jurium exercitione indignum sese ostenderit; nec igitur probo, Codicem statuere utrumque et patrem et matrem potestatem parentalem retinere. Statuit Specimen, conjuge, cui liberi mandati sunt, defuncto, illos transire ad alterum conjugem; rectius vero jubet Codex judicem tunc partes interponere debere. Similiter quoque statuit Specimen, si conjux ille sub curam venit; atque addit, quodsi uterque conjux sub cura sit, curatorem tunc ejus, cui liberi mandati sunt, ipso jure horum fieri tutorem. Praecepta illa art[i]. 515—518 Specimen applicat quoque ad nuptias nullas declaratas vel annullatas 1).

---

1) Spec. Art. 519.

CAPUT XII.

DE SEPARATIONE THORI ET MENSAE 1).

§ 1. Quam ita nominat Codex separationem, hanc Specimen vocat separationem thori, mensae, cohabitationis et bonorum. Discrimen tamen illud magis est verborum, quam rerum; eodem jure separationem illam plane iisdem verbis inscribere potuisset Codex, quibus Specimen, nam jure quoque nostro separationem thori et mensae sequitur semper bonorum separatio 2). Easdem ob causas, quae divortii petendi jus tribuunt, etiam thori et mensae separatio a judice peti potest 3). Hisce alias adhuc causas addit Codex, nempe immoderantias (buitensporigheden), cruciationes minores quam art[i]. 264, et injurias graves. Separationis causas Specimen adhuc nominat magnas et repetitas vexationes aut tales injurias perpetuas, quae cohabitationem perniciosam vel intolerabilem reddunt, — rixas et discordias continuas, ex alterius conjugis indole vehemente aut molesta ortas, licet conjux alter omni culpa non plane liber sit; quum tamen conjux actor ipse discordiarum auctor sit, et conjux alter intentionem impugnet, haec a judice interdicenda est 4). Separatio igitur facilior redditur, quam divortium; ego vero puto, nullum faciendum esse discrimen inter causas divortii et causas separationis, nec

1) L. Asser, diss. laud. pag. 113—120; regtsgel. bijdr. IV. pag. 534 et 535; Quintus. diss. de separat. thori et mensae. Gron. 1840.

2) C. art. 298.

3) Spec. art. 451; C. art. 288.

4) Spec. art. 252—254.

unquam huic prae illo favere oportere legislatorem; separatio enim statum aliquem matrimonii naturae adversantem creat qui conjugum malo habitui ansam dat, conjuge utroque ad coelibatum cogendo; quum autem separatio nimis faciliter permittatur, timendum est, ne separationum numerus nimis augeatur, quum conjuges, reconciliationis facultate remanente, ad separationem petendam facilius transituri sunt; probari illa omnia experientia vigente jure patrio pristino demonstrat ampl^s. Donker Curtius 1). Idem valet de Speciminis et Codicis praecepto, quod separationes mutuo consensu fieri permittit, quum divortia hoc modo perfici non permittatur 2). Quodsi ad separationem faciendam mutuus consensus sufficiat, idem juris esse oportet quod ad divortium attinet. Rectius tamen neutro in casu consensus mutuus admittitur: accuratissime legislator divortii causas separationis describat, nec ullam causam gravem praetereat, atque ita sinat aequas ob causas disjungi posse conjuges; mutuus consensus tunc abundabit; nuptiarum enim naturae parum conveniens videtur, eas quam libet ob conjugum licentiam (gril) dissolvi posse, et quod attinet ad causam, quae vulgo affertur, conjuges ab actione retineri saepe timore, ne impudens inde oriatur lis, minime illa mihi praebet idoneum fundamentum, quo via omni licentiae patefieret; lis enim debito cum pudore, januis clausis, agi potest, praeterea idem ille timor homines deterrebit a nimis leviter instituenda hac actione, quae consecutiones funestas semper affert. Alia causa, licet tantum subsidiaria contra mutui hujus consensus admissionem est, eo admisso oriri quo-

1) l. c. pag. 185—201, 212 et 213.
2) Spec. art. 455—458; C. art. 291—296.

que bonorum separationem aliquam mutuo consensu, quam Codex noster fieri directe prohibet justissimas ob causas 1).

§ 2. Separatio ejusque conditiones secundum Specimen mutua statui possunt conventione, quae tamen nullam habet vim, nisi a judice approbata sit, neque valet contra tertios, antequam proclamata sit 2). Similem publicationem requirit Codex, ut valeat separatio contra tertios 3). Statuit autem Codex, conjuges, antequam separationem a judice petant, teneri ejus conditiones constituere acto authentico, eosque conditiones constitutas mutuas, quae, pendente judicis inquisitione, locum habeant, judici offerre oportere, ut ab eo confirmentur, aut, si necesse sit, aliae ab eo constituantur 4). Conjuges, separationem petentes, secundum Codicem judici tradere debent exemplum acti nuptialis et conventionis, de qua modo vidimus 5); — requisitis demonstrationibus a judice partibus factis, post sex menses tribunal judicium reddet, audito ministerio publico et auditis aut advocatis proximis conjugum cognatis; intentione interdicta, intra mensem appellare possunt conjuges 6). Quum mutuo consensu petitur separatio, judex adhuc secundum Specimen causas inquirere debet 7). Sed ita cadit quoque ratio, quae pro admittendo mutuo consensu affertur, conjuges pudore retineri posse, ut veram divortii vel separationis causam aperiant. Hoc autem Codex

1) C. art. 241.
2) Spec. art. 456 et 457.
3) C. art. 300.
4) C. art. 292.
5) C. art. 293.
6) C. art. 294—296.
7) Spec. art. 458.

non jubet, sed requirit tantum, ad Codicis Napoleontici 1) exemplum, conjuges matrimonio junctos jam esse per biennium, ne separationem petant, antequam semet invicem satis cognorint 2). — Plura de divortio praecepta Specimen applicat etiam ad thori et mensae separationem 3); eandem rationem sequitur Codex 4); notandum vero hic est, secundum Specimen alimenta peti quoque posse a conjuge, contra quem petita est separatio, quum illa judex non concedat conjugi, qui solus noxius esse appareat 5). Separationis sententia publicata, statuit Codex, reconciliationis effectum tertiis objicere non posse conjuges, nisi eodem modo publicatum sit, separationem sublatam esse 6). Specimen diserte dicit, proclamationem non requiri, ut tollatur separatio thori et mensae 7).

---

1) C. N. art. 276.
2) C. art. 291.
3) Spec. art. 460—466.
4) C. art. 301.
5) Spec. art 464 et 465.
6) C. art. 304.
7) Spec. art. 468.

CAPUT XIII.

DE SEPARATIONE BONORUM 1).

§ 1. Separationem bonorum separatim peti vetat Specimen 2). Hanc autem prohibitionem Ordines Generales impugnarunt dicentes, eam conjugum saluti et liberorum commodo contrariam esse 3). Cui animadversioni omnino assentio aequissimum existimans uxori concedi jus prohibendi, quo minus maritus omnia dissipet. Verum quidem est, creditorum jura non debere ludibrio dari conjugum commodis, et recte propterea interdicitur conjugibus bonorum separatione mutuo perficienda consensu, — non minus verum tamen est, neque conjugum jura ludibrio danda esse creditorum commodo, atque igitur recte admissa videtur bonorum separatio certam ob causam.

§ 2. Separationem autem hanc Codex concedit duobus in casibus: 1° quum maritus manifesto malo habitu bona communionis dissipat et familiam interitui exponit; 2° quum negligentia et mala rerum suarum administratione mariti, cautio uxoris dotis et eorum, quae illi debeantur, perderetur, vel etiam ipsa dos ob latam culpam, in ejus administratione commissam, periclitaretur 4). Harum causarum prima in Codice Napoleontico non occurrit 5); eam recte assumsisse Codicem nostrum

1) Regtsgel. bijdr. IV. 529; Pijpers. diss. de separat. bonor. — L. B. 1839.

2) Spec. art. 450.

3) Voorduin l. c. II. pag. 420.

4) C. art. 241.

5) C. N. art. 1443; Asser l. c. pag. 114.

credo. Actio instituta bonorum separationis publicanda est, ut possint intercedere et contradicere mariti creditores 1); aequum sane est creditoribus jus illud concedi, ut videant illi, num forte unice in eorum fraudem intendatur haec actio. Pendente lite, bonorum conservationis curam gerere potest uxor, consentiente judice 2). Bonorum separatio antequam exsecutioni mandetur, publicanda est sub poena exsecutionis nullitatis 3). Nisi exsecutioni mandata sit separatio bonorum divisione, ejusque rei actum authenticum confectum sit, — aut nisi ad id intra mensem, postquam in rem judicatam abierit sententia, persecutiones judiciariae ab uxore inceptae et regulariter continuatae sint, sententiae vis ipso jure cadit 4). Mariti creditores, qui in lite non intervenerunt, separationi, licet jam exsecutioni mandatae, sese opponere possunt, si jura sua hac vitiata sunt 5). Licet bonorum separatio locum habuerit, conjux uterque pro facultatibus conferre tenetur ad impensas domesticas et liberorum educationis 6). Uxor, bonis separata, liberam eorum recipit administrationem, et a judice petere potest auctoritatem de rebus suis mobilibus disponendi 7). Communio in pristinum statum reduci potest mutuo conjugum consensu; haec tamen communionis restauratio ut contra tertios valeat, publicanda est 8).

---

1) C. art. 242 et 243.
2) C. art. 245.
3) C. art. 244.
4) C. art. 246.
5) C. art. 247.
6) C. art. 248.
7) C. art. 249 et 163.
8) C. art. 251—253.

CAPUT XIV.

DE LIBERIS LEGITIMIS ET DE PARENTUM IN EOS POTESTATE 1).

SECTIO I.

De natalibus legitimis 2).

§ 1. Speciminis titulus XII incipit definiendo liberos legitimos eos, qui ex justis nuptiis nati sunt 3); ex illis autem nati habentur hi quoque, quos mater peperit post elapsos dies 180 inde a matrimonii perfectione, aut intra dies 300 post ejus dissolutionem 4); liberis ex justo matrimonio natis exaequantur adhuc illi, quos mater ipso die 180 aut prius etiam post nuptias perfectas peperit, nisi se horum patrem esse expresse deneget maritus 5). Speciminis praeceptum, — liberis, post dies 300 elapsos inde a nuptiarum dissolutione natos, illegitimos haberi 6), — praesumtionem juris tantum esse, ideo reprehendo, quod sic nimium permittatur judicis potestati, qui vel post biennium natos liberos legitimos declarare possit. Quum dubitat legislator, num et diutius 300 diebus graviditas perdurare possit, age, longiorem in lege terminum statuat, sed, hoc posito, ponat simul

1) Regtsgel. bijdr. V. pag. 212 et 213, et 214—218.

2) Braams. diss. de jur. princ: pater est, quem nuptiae demonstr. — L. B. 1831.

3) Spec. art. 471.

4) Spec. art. 472.

5) Spec. art. 476.

6) Spec. art. 485.

praesumtionem juris et de jure, quum nuda juris praesumtio hic ad absurda ducat. Liberos quoque, natos post dies 300 elapsos inde a separatione thori et mensae, illegitimos praesumit Specimen; haec etiam praesumtio juris tantum est, et cedit probationi, conjuges aliquando post separationem reconciliatos esse 1), quod tamen hic non videtur improbandum, quum, matrimonio adhuc existente, non ducat ad absurditatem, modo dictam. — Codicis titulus XIII statim ponit juris praesumtionem, liberos, constante matrimonio, natos aut procreatos patrem habere maritum 2). Maritus denegare tamen potest liberos, ante matrimonii diem 180 natos 3), quale jus et Specimen marito concedit circa liberos, aut ipso die 180, aut prius post perfectum matrimonium natos, dummodo una cum denegatione offerat maritus jurejurando declarare, se cum matre ante nuptias contractas aut numquam, aut dumtaxat non intra dies 300 ante matris partum concubuisse 4); jusjurandum autem hoc ideo improbo, quod, qui tam malus sit, ut denegationem mala fide faciat, ac perinde liberorum statum incertum reddat et uxorem injuria tegat, plurimis in casibus jurejurando non deterreatur. Jus illud denegationis tam secundum Specimen, quam secundum Codicem, perimitur 5), quum maritus ante nuptias contractas graviditatis conscius fuit; — aliam peremtionis causam vocat Specimen, quum maritus ipse partum editum ut suum status civilis magistratui declaravit aut declarari passus est, ut tabulis inscriberetur; causa haec admodum

1) Spec. art. 486.
2) C. art. 305.
3) C. art. 306.
4) Spec. art. 476 et 478.
5) Spec. art. 477; C. art. 306.

naturalis mihi videtur, quum agnitione illa jure denegationis cessisse habendus sit; latius etiam Codex patet secundum quem, ut jus denegationis perimatur, sufficit, patrem acto natalicio conficiendo adfuisse, idque eum subsignasse, aut continere ejus declarationem, se scribere non posse; durum hoc Codicis mihi videtur praeceptum, quia ipse ejus art^{us} 30 patri imponit onus partus nati denuntiandi magistratui status civilis; — tertiam adhuc Codex nominat peremtionis causam, quam Specimen non novit, — nempe quum partus non vivus editus est, — quam ideo additam puto, quod mariti nunc minus intersit, quum partus non vivus editus nullas creët consecutiones civiles. — Speciminis 1) praesumtionem juris, — partum, natum elapsis 300 diebus post matrimonii dissolutionem, illegitimum esse, — Codex 2) mutavit in praesumtionem juris et de jure, et quidem, ut mihi videtur, recte ob causam supra allatam. Similem, uti vidimus, assumit Specimen praesumtionem, quodsi thori et mensae separatio intercesserit 3); contrariam vero hoc casu praesumtionem juris ponit Codex 4) supponendo, liberos, post separationem illam natos, legitimos esse, concessa tamen marito potestate denegandi; Speciminis praesumtio praeferenda hic mihi videtur, quippe conveniens sejunctae conditioni, in qua jam versantur conjuges. Denegandi jus propter concubitus impossibilitatem absolutam marito Specimen et Codex concedunt 5), uno tamen cum discrimine hoc, Specimen marito imponere onus impossibilitatis probandae per spa-

1) Spec. art. 485.

2) C. art. 310.

3) Spec. art. 486.

4) C. art. 309.

5) Spec. art. 473; C. art. 307.

tium uno die diuturnius, quam Codicem. — Marito Specimen recusat jus denegationis ob causam hanc, eum vitio aliquo inhabilem esse ad coitum celebrandum 1); Codex autem vitia haec distinguit in naturalia et accidentalia 2); haec si locum habent, denegatio permittitur, et recte, sin vero illa, jus denegandi marito interdicitur, qui ita turpis fuit, ut, licet generationis impotens, nuptias inierit. — Statuit porro Codex 3), maritum denegare non posse liberos adulterii causa, nisi natalia ei occulta sint, quo facto probare poterit maritus se non esse liberorum patrem. Regula haec ideo assumta videtur, quod lex legitimitati favet, et quia, licet adulterium commiserit uxor, fieri tamen potest, partus nati patrem esse maritum, atque igitur durum esset, in dubio contra legitimitatem decerni. Exceptio ideo addita est, quod hoc casu mater ipsa profiteri videtur, maritum patrem non esse 4). Specimen, quum de omni hac re sileat, jus denegandi marito recusare perspicuum est; odia enim sunt restringenda et, quod contra juris rationem 5) receptum est, non est producendum ad consequentias. — Eandem ob causam abundat Speciminis praeceptum 6), quod statuit, liberos ideo illegitimos habendos non esse, quod mater declaravit, eos non a marito sed ab alio procreatos esse; — jus enim denegandi strictae est interpretationis, neque, quo casu non expresse conceditur, exerceri potest.

1) Spec. art. 474.

2) C. art. 307; Voorduin, l. c. II. pag. 510—512; Asser l. c. pag. 142; De Pinto l. c. II. pag. 130.

3) C. art. 308.

4) de Pinto l. c. II. pag. 130.

5) Spec. art. 471, 472 et 476.

6) Spec. art. 475.

§ 2. Denegationem secundum Specimen facere debet maritus acto authentico perficiendo intra duos menses; computandos inde a liberorum natalibus, si horum tempore eodem loco versabatur maritus, neque casu extraordinario vel celatione dolosa natalia haec cognoscere impediebatur, et ceteris in casibus computandos a tempore, quo illorum natalium certior factus est 1). Acto hoc authentico perfecto, intra duos menses a judice petere debet maritus curatorem, contra quem de illegitimitate agatur lis, quae intra mensem post curatoris electionem instituenda sit in jus vocatione matris et curatoris 2). Si maritus moritur, altero pluribusve terminis praeterlapsis, neque iis usus, ut jus suum persequatur, hoc unicuique perimitur; mortuo vero marito currentibus adhuc terminis illis legalibus, heredes ejus vel alii, quorum aut in praesenti aut in futuro interest, legitimitatem intra annum post obitum mariti oppugnari possunt 3). — Codex autem jus denegationis marito tribuit intra mensem, si ipso loco natali vel in hujus vicinia versatur maritus, — intra menses duos post illius reditum, si absens fuit, aut post fraudem detectam, si ei celata sunt natalia. Si maritus denegationem acto extrajudiciali facit, intra tempus statutum, conceditur ei tempus duorum mensium post actum illud perfectum, — vel, eo intra tempus hoc mortuo, heredibus ejus simile spatium mensium duorum computandum ab ejus morte, conceditur, ut actio instituatur 4). Sin vero moritur maritus, postquam actionem instituit, hanc peragere de-

1) Spec. art. 479 et 480.

2) Spec. art. 481 et 482.

3) Spec. art. 483 et 484.

4) C. art. 311.

bent heredes intra menses duos post mariti obitum 1). Tandem, marito mortuo intra terminos statutos, sed priusquam jus suum denegationis curavit, hanc facere non possunt heredes, nisi probent maritum inde a die 300 usque ad diem 180 ante natum partum absoluta prohibitum fuisse impossibilitate concubendi cum uxore; conceditur illis ad hoc mensium duorum spatium, computandum a tempore, quo in mariti hereditatis possessionem sese posuerunt liberi, vel quo liberi in hac possessione turbarunt heredes 2). Ad unicum hunc casum denegationem recte coarctasse videtur legislator, reliquis enim in casibus rem probare non possent heredes. Duorum mensium spatium casibus hisce omnibus heredibus concessum, producitur ad sex menses, si unus, pluresve eorum extra regni territorium, — ad annum, si extra Europam habitant; immo tempus hoc ob bellum maritimum duplicatur 3). Omnis denegationis actio instituenda est contra tutorem, liberis ad hoc dandum, et mater in litem advocsnda est 4). Hisce addit quaedam Codex de actione, qua status invocatur; dicit eam a liberorum parte nulla exstingui praescriptione; illam, a liberis institutam, persequi posse heredes, nisi eam per triennium dereliquerint liberi; eam ipsos instituere posse heredes, si liberi mortui sunt aut minores aut intra tres annos post majorem aetatem 5).

§ 3. Speciminis et Codicis praecepta de natalium legitimorum probatione majorem partem conveniunt. Dif-

1) C. art. 312.
2) C. art. 313.
3) C. art. 314.
4) C. art. 315.
5) C. art. 324—326.

ferunt autem in his. Requirit Specimen 1) ad probandos natales legitimos acta natalicia liberorum et parentum instrumenta nuptialia; secundum Codicem 2) vero acta natalicia sufficiunt. Nihilominus et Codex 3) natales legitimos liberorum ob defectum parentum acti nuptialis impugnari permittit, nisi illi possideant statum, acto natalicio congruentem, et parentes ut maritus et uxor palam vixerint. Quodsi deficit actum natalicium et status possessio, — aut si liberi sub falsis nominibus tabulis inscripti sunt, — aut si illi his inscripti sunt ut nati ex ignotis parentibus, — Specimen 4) qualemcunque probationis modum admittit, — Codex 5) vero non aliter admittit probationem testimonialem, quam si adsit initium probationis per scripturam, aut satis graves sint praesumtiones, profluentes ex rebus, de quibus jam constat. Tandem statuit Codex, actionem, qua invocatur status, non posse institui nisi coram judice civili, et actione hac nondum dijudicata sententia definitiva persecutionem criminalem intendi non posse 6); recte tamen additur, persecutionem hanc institui posse, quum partes, quarum interest, actionem civilem non instituunt, dummodo adsit initium probationis per scripturam, deque hujus existentia judicatum jam sit 7). Multum hoc praestat Codicis Napoleontici art°. 327, qui persecutionem criminalem semper retinet, quamdiu actio civilis finita nondum est 8).

1) Spec. art. 488.
2) C. art. 316.
3) C. art. 157.
4) Spec. art. 493.
5) C. art. 319 et 320.
6) C. art. 322 et 323.
7) De Pinto II. pag. 132.
8) Asser l. c. pag. 148 et 149.

SECTIO II.

De parentum in liberos legitimos potestate, deque juribus et officiis inter parentes et liberos 1).

§ 1. Potestatem hanc Specimen vocat parentum potestatem, Codex vero patriam potestatem. Discrimen illud licet verbis magis quam re constet, Speciminis nominationem praefero, quippe quae rectius enunciat legis nostrae principium, quum Codicis verbum in animum nostrum revocat rigidam illam Romanorum patriam potestatem, quam legislator noster abhorrere a nostris moribus judicavit.

§ 2. Hanc potestatem Specimen tribuit parentibus, praesertim patri 2); similiter Codex 3) statuit liberos esse sub potestate parentum, hanc tamen, constante matrimonio, exerceri tantum a patre. Addit Codex eodem loco, patre impedito, matrem hanc exercere potestatem, — et similiter quoque singulari in casu 4), quo pater locum habitationis reliquit, rerum suarum administratione non curata, hac tamen cum restrictione, patris absentis cognatos vel affines hisce intercedere posse apud judicem cantonnalem, qui, salva appellatione ad tribunal, pronuntiabit. Si alteruter parentum mortuus est, aut curatorem accepit, parentum potestas ad alterum tota transit secundum Specimen; deinde, marito absente vel impedito, a tribunale auctoritatem petere potest uxor, ut sola

---

1) T. L. Certon. diss. de patr. potest. sec. novi C. C. Princ. — L. B. 1828; G. Turk. diss. de patr. potest. — Traj. 1838.

2) Spec. art. 497.

3) C. art. 354 et 355.

4) C. art. 552.

parentum potestatem exerceat 1). Quod statuit Codex 2), liberos minores, patre non consentiente, domum paternam relinquere non posse, ideo additum videtur, ut clarius appareret, legem nostram non accipere Codicis Napoleontici 3) exceptionem, quae filio domum, invito patre, relinquere permittit, ut voluntarius militet 4). — Propter malum liberorum habitum, vel ut iis impediant conatus malos, a judice petere parentes Specimen permittit veniam includendi liberos in domum correctoriam in spatium, anno non diuturnius, quo elapso, novus tamen concedi potest terminus 5). Simile jus patri concedit Codex; inclusionem tamen non permittit tribus mensibus diuturniorem, si nondum annos 15 liberi nati sunt, — aut anno diuturniorem, si aetatem illam impleverunt usque ad majorem aetatem; matri superstiti, novo non contracto matrimonio, venia dari potest a tribunale, auditis duobus ex proximis patris cognatis 6). Patet igitur jus illud Codicem arctioribus circumscribere finibus, quam Specimen et omnino recte intellexit legislator, jus illud, natura sua durum, nimis leviter concedendum non esse. — Quod ad administrationem liberorum bonorum, quae pater non administrat 7), statuit Codex, illa sublata, bona transire patri administranda, qua de re jure Speciminis quaestio oriri potuisset; recte addit quoque Codex, durante liberorum minore aetate, ut rationes ab administratoribus reddantur, postulare

1) Spec. art. 511 et 513.
2) C. art. 356.
3) C. N. art. 374.
4) Asser, l. c. pag. 159 et 160.
5) Spec. art. 510 et 740.
6) C. art. 357—360.
7) Spec. art. 504 et 509; C. art. 362.

posse patrem, quod tamen in eo reprehendo, quod statuti non sunt certi termini, quibus demum elapsis, rationum redditio postulari possit.

§ 3. Magnum hic animadvertendum est discrimen inter Codicem et Specimen. Ille enim 1) constante matrimonio patri et, eo dissoluto, superstiti parenti legalem concedit usumfructum omnium bonorum liberorum, qui nondum annum 20 impleverunt, nec prius nuptias inierunt; excipiuntur tamen bona, quae proprio suo labore et ardore acquisiverunt liberi et quae iis data sunt ea conditione, ne eorum usumfructum haberent parentes. Pater, liberorum bona administrans, responsabilis est pro dominio et fructu eorum, quorum usumfructum non habet, pro dominio tantum bonorum, quorum usumfructum habet 2). Longe aliam ingreditur viam Specimen 3); parentibus enim usumfructum legalem denegat, attamen permittit judicem liberorum bonorum fructus et reditus pro parte aut in totum parentibus concedere, ut eo melius liberos alant et educent; praeterea conceduntur parentibus, quae proprio labore et ardore acquisiverunt liberi, eundem in finem; in neutro horum casuum ob reditus illos responsabiles sunt parentes. Codicis autem ususfructus ille legalis finitur: 1°. si liberi annum 20 impleverunt, priusve matrimonium inierunt 4); 2°. liberorum morte 5); 3°. si conjux superstes inventarium intra tres menses facere neglexit 6); 4°. si mater novas init nuptias; — matrimonio dissoluto divortio vel thori

1) C. art. 366—368.
2) C. art. 363.
3) Spec. art. 501 et 502.
4) C. art. 366.
5) C. art. 369.
6) C. art. 370 et 882.

et mensae separatione ob causam divortii facta, is conjux, contra quem pronuntiata est sententia, usumfructum amittit; hic tamen quum est pater, non, nisi mortuo patre, usumfructum accipit mater 1). In omnibus tamen casibus, quibus ususfructus desinit vel amittitur, annuam contributionem parentibus concedere potest tribunal e liberorum reditibus, quae horum educationi adhibeatur 2); equidem puto, tale quid omni in casu sufficere atque igitur Speciminis hac in re systema praeferendum esse 3).

§ 4. Quod ad alimenta praestanda attinet, aequissima Speciminis mutatio in Codice occurrit; secundum hunc enim parentibus affinibus alimenta praestare tenentur liberi affines, quae tamen obligatio cessat, quum mater affinis novum ineat matrimonium, aut quum conjux, per quem affinitas consistit, et liberi ex illo matrimonio nati mortui sint; eadem parentibus erga liberos affines imponitur obligatio 4). Justas ob causas alimenta postea diminui possunt, secundum Specimen item augeri 5). Optimum mihi videtur Codicis praeceptum 6), quodsi alimentorum debitor probat, pecuniam requisitam contribuere se non posse, eum jubere posse tribunal, ut alimentorum creditorem in domum suam recipiat ibique alat. Minus mihi placet sequens praeceptum 7), parentes, offerendo liberos in domo sua alere, liberari obligatione alimentorum alio modo praestandorum; graves enim causae

1) C. art. 372 et 301.
2) C. art. 373.
3) Donker Curtius, l. c. pag. 225.
4) C. art. 377 et 378.
5) Spec. art. 524 et C. art. 380.
6) C. art. 381.
7) C. art. 382.

esse possunt, cur liberi in domum parentum non veniant 1).

CAPUT XV.

DE LIBERIS ILLEGITIMIS, DEQUE NECESSITUDINE, QUAE ILLIS INTERCEDIT CUM PATRE ET MATRE 2).

§ 1. Speciminis titulus XIII incipit a definiendo, quales intelligat liberos illegitimos 3), nempe qui nati sint ex femina innupta, vel ex femina nupta, sed non ex ejus matrimonio, — et qui nati sint ex nuptiis absolute nullis propter nimis arctam cognationem conjugum vel etiam aliam ob causam, nisi alterius conjugis fides probata sit bona. Sequitur deinde divisio liberorum illegitimorum 4) in tres species, quam quidem Codex tacite recipit 5), non vero directo illo modo, quo Specimen, enuntiat 6), quum eo tenderet legislator anni 1838, ut definitiones et divisiones quam plurime ex Codice removerentur, quippe quae magis ad opus de jure dogmaticum, quam ad legem simplicem pertineant.

---

1) Voorduin l. c. II. pag. 599.

2) Proeve van onderzoek naar den echten zin en bedoeling van Art. 242 B. W. — 1843.

3) Spec. art. 527 et 528.

4) De Groot, l. c. I. 12. § 4, 5 et 6.

5) C. art. 327.

6) Spec. art. 529.

§ 2. Hoc autem principio nititur Specimen 1), inter patrem et liberos illegitimos necessitudinem civilem non exstare, nisi vi agnitionis, ab illo factae, quae tamen locum habere nequit nisi in liberis naturalibus, — necessitudinis vero inter matrem et liberos illegitimos easdem esse quales inter legitimos, salvis quibusdam exceptionibus in successione ab intestato. Ulterius etiam progressum erat Specimen anni 1816, quod etiam inter cognatos maternos et liberos illegitimos eandem ponebat necessitudinem, quam inter legitimos 2), atque liberos illos ad matris et cognatorum maternorum hereditatem admittebat eodem jure, quo liberos legitimos 3), — qua in re secutum est jus vetus Hollandicum hujusque paroemiam: „het wijf maakt geen bastaard 4). Nullam generaliter admittit distinctionem Codex inter liberorum illegitimorum relationes cum patre aut cum matre illasque oriri statuit agnitione, a patre matreve facta 5). Haec vero agnitio fieri nequit liberorum, ex adulterio aut incestu natorum, nec jus illis conceditur inquirendi, quis sit pater materve, — nisi incestus regis dispensatione sublatus sit 6).

§ 3. Liberos agnoscere patrem Specimen permittit declaratione, in status civilis tabulis facta una cum natalium inscriptione, — sejuncta declaratione, iisdem tabulis postea inscripta, — alio acto anthentico vel privato ad id facto, quo ejus cum liberis relationem manifesto

1) Spec. art. 531, 538, 1979 sqq.

2) Spec. anni 1816. art. 583 et 584.

3) Spec. anni 1816. art. 2272 et 2273.

4) Bijnkershoek l. c. III. cp. 11; Voorduin l. c. I. pag. 47, 54, 210 et 211.

5) C. art. 335.

6) C. art. 338, 341 et 328.

declarat pater; — liberorum illegitimorum autem cum matre relationes secundum Specimen probantur: natalium inscriptione tabulis status civilis, vel actis peregrinis, quae eandem habent vim, — continua status possessione, — probatione, liberos eosdem esse, quos mater peperit, — matris agnitione, seu inscriptione tabulis status civilis, seu acto authentico vel privato, ad id facto 1). Ad agnitionem admittit Codex praeter similes, de quibus videmus, inscriptiones tabulis status civilis, acta authentica, quae necesse non est specialiter ad id facta esse, id quod imprudenter statutum esse et quaestionibus dubiis ansam dare posse mihi videtur; res satis gravis momenti est, ut ei expressum conficiatur actum 2). — Liberos autem agnoseere possunt secundum Specimen pater et mater, licet hi sunt minores; illud ita sine distinctione permitti periculosum mihi videtur; Codex vero recte distinguit, et patrem admittit ad agnitionem, dummodo aetatis annum impleverit ille decimum nonum, matrem vero, etsi aetatem illam haec nondum impleverit, quia in matre certum semper est factum, nempe partus 3). Liberos naturales agnoscere patrem non permittit Codex, matre viva neque consentiente; et recte, matris enim famae nocere posset, si unusquisque vilissimae conditionis vel infamis jus haberet, invita matre, sese declarandi patrem liberorum matris illius naturalium 4); matre defuncta, patris agnitio vim et effectum habet,

1) Spec. art. 531 et 539.

2) C. art. 336; Asser l. c. pag. 153 et 154; de Pinto l. c. II. pag. 133.

3) Spec. art. 531 et 539; C. art. 337; Voorduin l. c. II. pag. 557—559.

4) Voorduin, l. c. II. pag. 561 et 562.

tantum quod ad eum attinet 1). Statuit porro Codex, agnitionem, constante matrimonio factam ab altero conjuge in gratiam liberorum naturalium, ante matrimonium ex alio, quam conjuge procreatorum, nocere non posse huic conjugi, neque liberis e matrimonio natis 2); matrimonio dissoluto, nec ex illo superstitibus liberis, effectum nanciscitur agnitio 3).

§ 4. Paternitatis inquisitio prohibita est. Eam tamen permittit Specimen 4) ob violationem, Codex 5) ob violationem vel raptum; huic adhuc casui alios addit Specimen, nempe quum relationis inter patrem et liberos illegitimos requiritur probatio, ut intercessio fiat nuptiis, haeve nullae declarentur ob cognationem prohibitam, — aut ut fieri possit per secutio delictorum, quae cum relatione ista cohaereat, et quibus poenam minetur Codex Poenalis. Postremis autem in casibus etiam Codicem admittere inquisitionem, ex sana legis interpretatione deducendum est; verbaque Codicis ita explicanda sunt, ut significent tantum, liberos ipsos non admitti ad inquisitionem; rem aliter ad absurda ducere perspicue demonstrat cons[s]. de Pinto 6). Maternitatis inquisitio permittitur 7); illam tamen in eo difficiliorem reddit Codex, quod hic initium probationis per scripturam requirit, ut probatio testimonialis admittatur 8),

§ 5. Patriae potestatis consecutiones erga liberos legi-

---

1) C. art. 339.
2) De Pinto, l. c. II. pag. 136.
3) C. art. 340.
4) Spec. art. 532.
5) C. art. 342.
6) l. c. II. pag. 137 et 138.
7) Spec. art. 539 et C. art. 343.
8) Donker Curtius l. c. pag. 235 et 236.

mos 1) applicat Codex ad liberos illegitimos, rite agnitos 2), hac tamen cum restrictione, sermonem hic esse non posse cognatorum paternorum, ibi memoratorum, quia ad illos vim non extendit agnitio. Plenam vero parentum potestatem matri concedit Specimen in liberos illegitimos; quum ipsa sub tutela vel cura est, tutor ejus vel curator ipso jure liberorum tutor est 3). Quem vero usumfructum liberorum bonorum parentibus legitimis concedit Codex, illis recusat bonorum liberorum naturalium agnitorum 4). Adhuc animadvertendum est et Specimen et Codicem parentibus quidem imponere obligationem alimentorum liberis naturalibus praestandorum, non vero invicem liberis idem imponere Specimen erga patrem, quum Codex mutuam hanc facit obligationem 5).

CAPUT XVI.

DE LEGITIMATIONE 6).

§ 1. Ordinata agnitionis materia 7), ad legitimationem ordinandam procedit Specimen 8). Inverso ordine

1) C. art. 353—360.

2) C. art. 361.

3) Spec. art. 540.

4) C. art. 374.

5) Spec. art. 534; C. art. 383.

6) Oester. diss. de legitim. ex jure Belg. nov. — Traj. 1838; Goekinga. diss. de legit. per rescriptum principis. — Gron. 1842.

7) Spec. tit. XIII.

8) Spec. tit. XIV.

de argumentis hisce agit Codex 1), cujus ordinatores multum vituperandi mihi videntur, quod Codicem Napoleonticum caeci ita imitati sunt, perperam enim prius tractatur, quod locum habere posterius tantum possit, et invicem secundo demum loco agere de re, quae praecedere debeat.

§ 2. Primum statim occurrit discrimen Specimen inter et Codicem, illud legitimationem quoque admittere per matrimonium parentum, qui liberos suos naturales post nuptias demum contractas agnoscant 2). Ab eo autem recessit legislator noster, quum metueret, ne ita in fraudem legis, liberorum extraneorum suppositione, adoptionis species quaedam perficeretur 3). Ne tamen negligentia parentum, qui liberos naturales ante perfectum matrimonium agnoscere omisissent, hisce inique noceret, hoc casu Codex 4) permisit legitimationem fieri per rescriptum principis, cujus eadem est vis, quae legitimationis per subsequens matrimonium; ut tamen, quantum fieri possit, fraus prohibeatur. ad legitimationis petitionem petentium cognatos audiri curare potest curia suprema, immo factam petitionem ephemeridibus publicari jubere 5).

§ 3. Legitimationis rescriptum a rege conceditur 6), qui tamen secundum Codicem curiam supremam consulere debet. Per principis rescriptum legitimari permittit Codex etiam liberos illos naturales agnitos, quorum

1) C. tit. XIII. § 3 et 2.
2) Spec. art. 542.
3) Voorduin l. c. II. p. 545 et 546.
4) C. art. 329 et 332.
5) C. art. 331.
6) Spec. art. 549 et C. art 329.

parentes, propter alterutrius obitum matrimonium propositum perficere non potuerunt; hac quoque petita legitimatione, eaedem provisiones praescribi possunt, de quibus modo vidimus 1). Hoc vero modo legitimari non posse liberos illos incestuosos, qui per parentum matrimonium, accepta regis dispensatione, subsequens legitimari possunt, ideo puto, quod art^{us} 330 requirit liberos agnitos esse, atque liberorum istorum incestuosorum agnitio fieri non potest, nisi in ipso parentum perficiendo matrimonio 2). Specimen vero tam liberorum proprie naturalium, quam ex incestu, cujus dispensationem dare potest rex, natorum legitimationem per principis rescriptum permittit 3). Praeterquam autem, quod Speciminis legitimatio ad liberos quoque illos incestuosos sese extendat, alia quoque in re latius patet, quam illa Codicis. Hic enim legitimationis rescriptum peti non aliter permittit, quamsi alterius parentum morte matrimonium propositum perfici prohibetur. Specimen vero patrem, immo, eo vivo, neminem nisi illum, — ad legitimationem admittit, non tantum quum mater defuncta est, sed etiam quum haec post liberos natos naturales cum alio nuptias contraxit, vel etiam quum liberi nati sunt ex serva vel libertina in regni coloniis vel possessionibus aut in terra peregrina, licet haec adhuc vivat 4). Mortuo patre, legitimationem petere permittit Specimen matrem liberorum naturalium, a patre agnitorum, — vel hosce ipsos, quum sunt majores aetate; mortuis paren-

1) C. art. 330 et 331.
2) C. art. 328.
3) Spec. art. 549 et 550.
4) Spec. art. 551 et 552.

tibus, tutores quoque liberorum legitimationem à rege petere possunt 1).

§ 4. Rescriptum legitimationis quod ad successionem non valet in detrimentum liberorum legitimorum patris tantum secundum Specimen, patris matrisve secundum Codicem, ante legitimationem natorum, neque, secundum Specimen, in detrimentum liberorum, qui ex matrimonio, legitimationis tempore existente, post illam nascuntur 2). Porro rescriptum illud secundum Codicem non valet ad successionem cognatorum illorum, qui ejus impetrationi consensum non dederunt; secundum Specimen vero non valent quod attinet ad successionem in bona cognatorum paternorum, praeterquam eorum, qui consensum dederunt, eorumque liberorum minorennium legitimationis tempore, aut post hanc natorum 3). Liberi etiam mortui legitimari possunt per principis rescriptum; hujus tamen petendi jus unice patri tantum concedit Specimen 4). Rescriptum legitimationis secundum Codicem nostrum valet contra unumquemque, salva restrictione quod ad successionem, supra tractata 5). Specimen vero statuit illas valere ut documentum relationis parentalis indubitabile contra omnes, qui illarum impetrationi consensum dederunt, — et contra reliquos cognatos paternos ceterasque personas, qui tamen falsam esse relationem demonstrare possunt, quo facto, rescripti vis cadit quod ad eos, qui sententiam judicialem adepti sunt, eorumque successores 6). Hanc vero rescripti impugnationem

1) Spec. art. 553 et 554.
2) Spec. art. 557; C. art. 333.
3) Spec. art. 558.
4) Spec. art. 559; C. art. 334.
5) C. art. 333.
6) Spec. art. 560 et 561.

Specimen permittere valde improbo; legitimationis petitio ephemeridibus publicetur, ut unusquisque intercedere possit; rescriptum vero concessum valeat contra omnes, salva exceptione fortasse facienda quod ad successionem cognatorum, qui consensum non dederunt 1).

CAPUT XVII.

DE COGNATIONE ET AFFINITATE 2).

Quae hac de re continet Codicis titulus XIV, eadem in Specimine 3), si minus ad verba, certe quod ad vim et sensum occurrunt. Plura tamen hisce addit Specimen, quae per se jam patere judicavit legislator noster; sic statuit Specimen, eos, qui alter ab altero, aut qui ambo e stirpe communi descendunt, ad idem pertinere genus eandemve familiam; personas illas vocari „magen" vel „bloedverwanten"; cognationem venire e natalibus tam legitimis, quam illegitimis; cognatos in linea collaterali esse aut germanos, aut ab altera tantum parte junctos 4). Tum definit Specimen, quales intelligat vocibus „kinderen, kindskinderen, ouders, grootouders, voorouders, afkomelingen vel nakomelingen, bloedverwanten, nabestaanden, stiefouders, schoonouders, stiefkinderen" 5), —

1) Donker Curtius, l. c. pag. 241 et 242.
2) Regtsgel. bijdr. V. pag. 213 et 214.
3) Spec. tit. XV.
4) Spec. art. 562, 563, 569, 570.
5) Spec. art. 571, 572, 573, 574. 578, 579.

quales verborum significationes multum facere possunt ad rectam legis interpretationem 1).

CAPUT XVIII.

DE MINORE AETATE ET DE TUTORUM DATIONE 2).

§ 1. Minoris aetatis terminum statuit Specimen 3) annum aetatis vicesimum quartum impletum. Quem hic annum eligerent dubitabant legislatores; pristinum enim jus Hollandicum requirebat 25 annos 4); Codex Napoleonticus, regno Hollandiae accommodatus, 23 annos 5); Codex Napoleonticus 21 annos 6); Codex noster hodiernus rursus 23 annos 7). Minorem aetate nuptiis contrahendis majorem fieri tam Specimen quam Codex statuit 8); addit Codex eum, nuptiarum dissolutione, antequam 23 annos implevit, rursus minorem non fieri, et prudenter ita statutum esse puto, fortasse enim hujus praecepti omissio ansam daret opinioni contrariae, hac nixae re-

1) Donker Curtius l. c. pag. 245.

2) Regtsgel. bijdr. V. pag. 218—229; W. de Sitter. coll. jur. ant. maxime secund. Grotium etc. — Gron. 1843.

3) Spec. art. 580.

4) De Groot l. c. I. 7. § 2.

5) C. L. N. art. 289.

6) C. N. art. 388 et 488.

7) C. art. 385; Voorduin III. pag. 8—12; Asser l. c. pag. 169 et 170; de Pinto l. c. II. pag. 148 et 149.

8) Spec. art. 581 et C. art. 385.

gula: cessante causa, cessat effectus. Nihilominus statuit Specimen aetate minorem, matrimonio ineundo majorem factum, ejus dissolutione in tutelam non recadere 1).

§ 2. Minorum actus omnes nulli sunt quod ad ipsos minores attinet 2); ab hac vero regula exceptiones quasdam admittit Specimen 3):

1°. si actus illi tûtorum ratihabitione confirmati sunt;

2°. quando et in quantum per actus illos in minorum rem versum est; sic Codex 4) quoque statuit, minorum contractibus nullis declaratis, partes ab illis repetere posse quod, iis solutum, adhuc exstat, vel in eorum rem versum est;

3°. quod si minores, majores facti actus illos expresse vel tacite confirmarunt; idem statuit Codex 5);

4°. reliquis in casibus, quibus id expresse statuit lex.

§ 3. Codicis regula est, in omni tutela, unum tantum esse tutorem 6). Specimen vero ad juris Romani et pristini patrii redierat principia, quae plures tutores admittebant 7). Distinguit autem Specimen inter tutelam ad personam pupilli et tutelam ad ejus bona, illa est individua, haec vero inter varios tutores dividi potest; tutores autem creantur aut ad personam et bona, aut ad bona tantum; qui ad bona tantum creati sunt, in personam pupilli nullam exercent potestatem 8). Divisionem

---

1) Spec. art. 686.

2) Spec. art. 582; C. art. 1366, 1367 et 1482.

3) Spec. art. 583.

4) C. art. 1487.

5) C. art. 1492.

6) C. art. 386.

7) § 1. J. de satisd. tut. et cur.; l. 3 et 55. D. de adm. et peric. tut.; de Groot l. c. I. 7—10.

8) Spec. art. 584, 587 et 588.

illam tutelae non recepit Codex noster, ipsum enim jus Romanum et patrium pristinum, quod plures admisit tutores, graves inde oriri posse difficultates tacite confessum est statuendo, unum solum administrare debere, cujus actus ceteri (honorarii) observent 1); ipsa docuit experientia, tutores, diversis sententiis et opinionibus divisos, discordes fieri, e quibus omnibus pupillorum commoda detrimentum saepissime capiebant 2). Ne tamen unicus sic creatus tutor nimiam haberet opportunitatem grassandi in bona pupilli, ad exemplum Codicis Napoleontici 3), tutorem creari subrogatum in omni tutela, — excepta tantum illa, quam instituti ad pias causas rectores exercent in minores, ibi colendos, — Codex jubet 4). Tutor hic subrogatus a judice cantonnali creatur, quod ut fiat, petere si negligit tutor testamentarius vel legitimus, a tutela removeri potest, in tutela dativa tutor subrogatus statim post creatum tutorem creatur et quidem eodem ipso acto 5). Tutor subrogatus non exclusus, neque excusatus, quum munus suscipere dubitat, alia persona creabitur, quae ejus munus perficiat periculo tutoris subrogati 6). Tutor subrogatus, debito praestito jurejurando, curare debet, ut tutor obligationi hypothecae dandae satisfaciat et hereditatum omnium quae pupillo pro-

---

1) L. 3. § 6. D. de adm. et peric. tut.; de Groot l. c. I. 9. § 13; ordonn. voor de weesk. te Vlaardingen. art. 16; J. C. Voorduin diss. de jurispr. comp. in loco jur. Belg. nov. qui est de constituendo tutore. pag. 22 sqq.

2) Voorduin geschied. en begins. III. pag. 18; De Pinto, l. c. II. pag. 150.

3) C. N. art 420.

4) C. art. 422.

5) C. art. 423 et 424.

6) C. art. 425 et 387.

veniant, inventarium perficiat; prospicere tenetur pupilli commodis, quae simulac cum tutoris commodis pugnant; a tutore, — patre et matre excepto, — ut rationes reddantur, postulet binis annis, quas si reddere non vult tutor, aut si in iis dolus vel lata culpa animadvertitur, aut si quid tutor commisit, cui remotionis poenam minatur lex, illam postulare tenetur tutor subrogatus; aperta tutela, vel derelicta, tutorem creari novum curet, atque interea agat, quae differri nequeant; tutoris subrogati munus ipsius tutelae finiendae momento finitur 1).

§ 4. Praeter tutelam autem propriam illam ad personam et ad bona pupilli, aliam adhuc admittit Specimen tutelae speciem vel administrationem bonorum minoris, quorum administrationem tutoribus peculiaribus mandari voluit testator vel donator 2). Simile hac de re praeceptum continet Codex, cum illo tamen discrimine, eum non usurpare verba tutoris tutelaeve, sed administratoris et administrationis 3).

§ 5. Antiquo jure Germanico ipsi principi vel domino tntela suprema competebat, quae, crescente deinde civitatum (steden) auctoritate, ad earum rectores, saltem in patria nostra transit 4). Potestatem autem hanc rursus mandabant hi collegiis, camerarum pupillarium nomine institutis, praesertim et vulgo quidem ex municipalibus, non tamen ubique eodem modo compositis 5). Pluribus patriae locis has quidem cameras, non vero earum man-

1) C. art. 426—432.

2) Spec. art. 586 et 1620.

3) C. art. 443.

4) Voorduin, diss. laud. pag. 143 sqq.; Meijer, esprit origine et progrès des institutions judiciaires IV. pag. 31 sqq. et 367 sqq.

5) de Groot l. c. I. 7. § 10; ordonn. v. de weesk. te Vlaardingen. art. 1; Voorduin diss. laud. pag. 147.

datorem, magistratum ipsum, excludi per testamentum licuit 1). Pristinum jus illud patrium de tutela suprema regimini municipali et cameris pupillaribus mandanda restauravit Specimen. Regimini enim municipali tutelam supremam mandat Specimen in minores omnes, qui in illius jurisdictione (ressort) sub tutelam veniunt; tutela haec suprema si necesse est, ad regiminis municipalis petitionem et secundum instructionem, a rege probandam, mandari potest cameris pupillaribus. Suprema autem tutela consistit in tutoribus creandis, — in iis confirmandis, si hoc opus est, — in attendo et providendo eorum actibus, — in negligentibus ad officium reducendis et in ineptis (onbevoegden) et male agentibus a tutela removendis. Tutelam illam supremam excludi defendit Specimen 2). Cameras illas pupillares Codex non recepit; docuerat enim experientia, eas minorum commoda plerumque neglexisse, neque satisfecisse obligationibus, iis impositis; eas excludi ferebat mos, idque magnum praebet documentum, illas, cui consilio institutae sunt, non respondere 3). Legislatori nostro placuit tutelam illam supremam, potestati administrativae Specimine commissam, potestati judiciariae mandari, quippe ad quam magis proprie pertineat, et a qua, cognatis affinibusve, ubi necesse erit, auditis proximis, curam majorem exspectare liceat. Quale igitur judicis cantonnalis et tribunalis hac in re sit officium et munus, suis singulis locis debimus 4).

§ 6. Cognatos vel affines de minorum commodis in-

1) de Groot l. c. I. 9. § 2; Voet ad tit. D. de tut et cur. no. 5.

2) Spec. art. 590 et 591.

3) Meijer l. c. IV. pag. 371—373; Donker Curtius l. c. pag. 266—280; de Pinto l. c. II. pag. 151.

4) Mr. C. J. van Assen l. c. pag. 113.

terdum consulendos, saltem advocandos, numero esse oportere quatuor, proximos, mares, majores, incolas et, quantum fieri potest, ex utraque linea eligendos, statuit Codex et addit, illos, sicut etiam tutorem subrogatum, advocatos singulos per singulos mandatarios comparere posse, atque eos, licet nulla causa justa excusatos, neque ipsos, neque per mandatarios venientes cadere in mulctam, cujus terminus est 25 florenorum 1). Cognatos proximos audiri neque a juribus patriis pristinis alienum erat 2). Illud hoc loco occurrit Codicis discrimen cum Codice Napoleontico, secundum hunc non tantum audiri cognatos, sed plus etiam, illos ipsos decernere 3), ita ut, quae potestas jure nostro judici mandata sit, jure Francico regulariter penes consilia familiae esset.

§ 7. Jure nostro tutor vocatur aut lege 4), aut testamento, aliove acto authentico, specialiter ad id facto 5), aut a judice cantonnali 6). Secundum Specimen vero tutela defertur aut testamento aliove tutelae acto authentico speciali, aut a regimine municipali vel camera pupillari 7). Tutelam legitimam non agnoscit Specimen, uno hoc casu excepto, parentum altero mortuo, ad alterum, vi parentum potestatis, pertinere tutelam ad personam liberorum 8). Tutela hoc casu ad bona defertur aut a parente praedefuncto, aut, hoc omisso, a re-

1) C. art. 388 et 389.
2) de Groot l. c. I. 7. § 10.
3) C. N. art. 405.
4) C. art. 400.
5) C. art. 410.
6) C. art. 413.
7) Spec. art. 589.
8) Spec. art. 584, 585 et 511.

gimine municipali vel-camera pupillari 1). quae tamen parenti superstiti, nisi ratio justa obsit, tutelam ad bona mandant 2). Pristinum quoque jus patrium similem admittebat distinctionem; ad personam pupilli tutela ad parentem superstitem pertinebat, tutela vero ad bona deferebatur aut testamento, aut a regimine municipali vel camera pupillari, quae tamen nisi graviora obstarent impedimenta, parentem illum creare solebant 3). E Codice nostro tutela ad parentem superstitem ipso jure pertinet; pater tamen praedefunctus testamento aut acto authentico, specialiter ad id facto, matri adjungere potest consiliarium, cujus consensus in rebus gerendis pupillaribus requiritur, salva matris appellatione ad tribunal, quum putat illa consiliarii recusationem pugnare cum minorennium commodis 4). Matre gravida superstite, judicem cantonnalem jubet Codex noster instituere curatorem ad ventrem, qui, partu vivo edito, hujus tutor fit subrogatus, nisi liberorum reliquorum alius jam sit tutor subrogatus 5). Praeceptum novum Codex etiam continet, quum matri tribuat jus sese a tutela excusandi; regulariter enim tutrices esse nequeunt feminae, quum administrationi inhabiles censeantur; hoc igitur vitium quum etiam in matre locum habere possit, ei, consciae sese tutelam recte gerere non posse, renuntiandi jus patere debet 6). — Matri, tutrici liberorum bonorum, novo ineundo matrimonio, tutelam hanc adimit

1) Spec. art. 592 n° 2. et 599.

2) Spec. art. 604.

3) de Groot l. c. I. 7. § 8—11; ordonn. v. de weesk. te Vlaardingen. art. 11; Voorduin. diss. laud. pag. 48—53.

4) C. art. 400—402.

5) C. art. 403.

6) C. art. 404.

Specimen, eique obligationem imponit petendi, — antequam novas contrahit nuptias, — ut novus tutor tutoresve creëntur, quibus tunc, rationibus redditis, bona administranda tradat; matrem iterum tutricem nihilominus creare potest regimen municipale vel camera pupillaris; tutela ad personam utroque casu apud matrem remanet; — pater vero secundum Specimen, novo ineundo matrimonio, tutelam ad personam retinet, uti etiam tutelam ad bona, quum haec sibi delata est, attamen tutoribus, ad id institutis, probare debet de liberorum minorum bonis 1). Secundum Codicem autem adire debet mater, antequam nuptias ineat novas, judicem cantonnalem, qui, cognatis affinibusve auditis, decernat, num tutelam retinere, nec ne, possit mater; quodsi hoc petere omittit, tutelam ipso jure amittit, atque maritus ejus in solidum obligatur tutelae administratione; matrem, quae tutelam sic amisit, iterum nihilominus tutricem creare potest judex cantonnalis; parenti superstiti Codex imponit quoque officium inventarii faciendi bonorum liberorum minorum et hujus offerendi tutori subrogato, antequam novum ille ineat matrimonium; quod quum facere omittit parens superstes, tutelam amittit, aliusque tutor creatur 2). Pater, vel, hoc deficiente, mater liberorum naturalium agnitorum tutelam habet secundum Codicem; haec secundum Spe-men penes matrem est; quum ipse pater materve est minor aetate, tutorem creare judicem cantonnalem jubet Codex, quum secundum Specimen ipsius matris minoris tutor, aut ejus majoris curator liberorum naturalium tutor est; num hoc tamen Speciminis praeceptum

---

1) Spec. art. 635—637, 411—416, 606 2°.

2) C. art. 405—407.

bona quoque, an personam tantum spectet, dubium mihi videtur 1).

§ 8. Tutor creari potest testamento vel acto speciali authentico, et quidem: 1°. a parente superstite ad liberorum personam et bona tam secundum Codicem quam secundum Specimen; 2°. a parente praedefuncto ad bona liberorum minorum secundum Specimen 2). — Parenti, qui tutorem creare potest, jus tribuit Specimen, ut tutori creato concedat jus assumtionis, i. e.: potestatem unum pluresve tutores sibi assumendi, et jus surrogationis, i. e. potestatem creandi alicujus, qui sibi, mortuo vel e tutela dimisso, in tutelam succedat; si plures sunt tutores, assumtio iis tali casu universis, subrogatio singulis sibi in suum locum competit; assumtio et surrogatio acto facienda est authentico; tutor assumtus vel surrogatus non, nisi confirmatus a regimine municipali vel camera pupillari, tutelam adire potest 3). Jurium vero illorum neutrum admisit Codex, quum idoneum non videretur, neque pupillorum commodis favens, aliis quam parentibus jus tribuere tutoris creandi. Quod ad assumtionem Codicis praefero praeceptum, quo judex cantonnalis permittere potest, tutorem in tutela administranda uti uno pluribusve administratoribus mercenariis, sub tutoris responsabilitate res gerentibus; hoc tamen casu responsabilitas tutoris tollitur, quum administrator creatur ad pupilli bona, in colonia sita, administranda; et quod ad surrogationem attinet, parenti ipsi jus tribuit Codex, ut tutori, ab eo creato, alterum substituat in casum deficientis prioris 4). Matri binubae, quae tutelam neque retinuit, ne-

1) Spec. art. 540; C. art. 408.

2) Spec. art. 592; C. art. 409 et 410.

3) Spec. art. 594—597.

4) C. art. 446, 418 et 409.

que recuperavit, et parenti superstiti, qui, novum matrimonium initurus, debito non faciendo inventario tutelam amisit, Codex adimit jus tutoris nominandi; sin vero mater binuba tutelam retinuit, nominare quidem potest tutorem, sed indiget hic confirmatione a judice cantonnali, auditis vel advocatis cognatis affinibusve, danda; requiri videtur confirmatio illa, quia fieri potest, matrem non plane libere sed mariti vi blanditiisve admotam, creasse tutorem 1).

§ 9. Tutela vel tutore legitimo et testamentario deficiente locus est tutelae dativae. Tutor dativus secundum Codicem creatur a judice cantonnali ad petitionem pupilli cognatorum, creditorum aliorumve, quorum interest, aut ex officio (ambtshalve) 2). Secundum Specimen vero tutor dativus ad personam et ad bona, aut ad bona tantum creatur a regimine municipali vel camera pupillari, quae, quo melius huic rei prospiciant, idoneos instituere debent modos, quibus obitus parentum, liberos minores relinquentium, patere possit 3). Eundem in finem secundum Codicem status civilis officialis judicem cantonnalem facere debet certiorem mortis eorum, qui liberos relinquunt minores, et matrimoniorum secundorum vel posteriorum parentum, qui liberos habent minores 4). Ad tutoris creationem audire vel advocare debet judex cantonnalis pupilli cognatos vel affines, quorum sententiae quum congruit judicis decretum, statim valebit tutoris nominatio, sin non, cognatis affinibusve appellatio

1) C. art. 411 et 412.

2) C. art. 413 et 417; Lewe Quintus diss. de potest. magistr. in tutoris datione Gron. 1838.

3) Spec. art. 599—602.

4) C. art. 417.

ad tribunal patet, quod aut tutorem nominatum confirmet, aut alium eligat 1). Quod ad audiendas personas quasdam id unum tantum Specimen statuit, quodsi regimini municipali vel camerae pupillari placet in locum unius ex pluribus tutoribus, qui aut morte, aut aliam ob causam tutelam amiserit, alium creare, audiendos tunc esse tutores superstites 2). Rectissime sane requirit Codex cognatos audiri, hi enim pupillorum commoda optime cognorunt, deque hisce judicari possunt. — Speciminis praecepto; regimen municipale vel cameram pupillarem tutorem quoque creare in certos aetus, in quibus tutorum ordinariorum commoda cum commodis pupillorum pugnent, Codex non indiget, tutor enim subrogatus pro pupillis hoc casu agit 3). Regulam aliquam exhibet Specimen in tutorum creatione a regimine municipali et camera pupillari observandam; creandus enim est, nisi graves obstent causae, parens superstes, et hoc deficiente, avus vel avia praesertim a parte parentis defuncti; aviae autem tutrici contutor adjungendus est; his quoque deficientibus creandi sunt proximi pupilli cognati idonei, quibus deficientibus, extranei 4). Multum haec conveniunt cum veteri jure Hollandico 5). Regulam talem Codex non continet, neque omnino ad tutelam aviam admittit 6); quod ad majorum tutelam legitimam, jure Napoleontico admissam 7), hanc abrogavit legislator anni 1838, quia pupillorum majores ob aetatem provectam fere

1) C. art. 414—416.
2) Spec. art. 602.
3) Spec. art. 603; C. art. 427.
4) Spec. art. 604 et 605.
5) de Groot l. c. I. 7. § 11.
6) C. art. 436 3°.
7) C. N. art. 402—404.

semper prohibentur pupillorum rebus recte prospicere 1); avi autem creationem judici commendare noluit Codex, fortasse quia commendatio talis pro lubitu observari et negligi possit, quum nullum ei juris vinculum adjungatur. Liberis naturalibus tutorem creare jubet Codex judicem cantonnalem, nullis auditis cognatis, et ita naturali ratione, liberi enim naturales cognatos non habere intelliguntur 2). Statuit Codex adhuc, minores, in institutum ad piam causam receptos, sub hujus administratorum tutela esse, quamdiu in aedibus illis manent 3); hoc autem nisi diserte statutum esset, certe quaestio oriri potuisset, num Codicis de tutela praecepta hujus tutelae specialis praeceptis derogarent, quum negative jam respondendum est 4).

§ 10. Non vero omnes tutores esse possunt. Tutelae autem incapaces distinguit Codex in ineptos (onbevoegden), qui ob casum aliquem fortuitum, ab semetipsis independentem, a tutela prohibentur 5) et in exclusos et removendos, quibus propter habitum malum tutela mandari nequit 6); omnes autem illos ineptos vocat Specimen ad tutelam gerendam adeo ut illos, suscepta demum tutela, ineptos factos, a tutela amoveat 7). Quos autem ineptos Codex dicit, hi etiam secundum Specimen inepti sunt, his tamen cum distinctionibus:

1o. ineptos vocat Codex minores Specimen tantum

---

1) Asser, l. c. pag. 181.

2) C. art. 420 et 335.

3) C. art. 421.

4) Voorduin geschied. enz. III. pag. 81—83; de Pinto l. c. II. pag. 162 et 163.

5) C. art. 436.

6) C. art. 437; De Pinto l. c. II. pag. 167 et 168.

7) Spec. art 606 et 713.

eos, qui sub tutela sunt, ita ut minores, qui in parentum potestate sunt, admittendi esse videantur secundum Specimen ad tutelam; quod absurdum est;

2°. a feminis, generaliter ineptis, matrem excipit Codex, matrem et aviam Specimen, quamdiu hae novum non inierunt matrimonium, quo enim contracto, non aliter tutrices esse possunt, quam si iterum creëntur;

3°. ineptos dicit Codex eos, qui aut ipsi, aut quorum pater, mater, conjux, liberi contra minorem litem agunt, quae ejus statum, magnamve bonorum partem spectat. Specimen illud ab una parte non extendit ad conjugem et liberos, ab altera vero parte requirit tantum eos habere cum minore rem, cujus hunc multum interest.

§ 11. Quod ad Codicis causas exclusionis attinet, harum plurimas ad causas, quae ineptos faciunt, refert Specimen; hic vero quaedam animadvertenda sunt:

1°. Codex excludit eos, qui vitae habitum manifesto malum sequuntur, quum Specimen tantum requirit habitum perspicue irregularem et negligentem, aut eorum res ita male sese habere, ut iis minorum commoda non sine periculo mandari possint;

2°. Codex a tutela removet eos, qui in ea gerenda imperitiam vel perfidiam manifestarunt; Specimen tutores removet ob dolum 1), quod nimis arcte pateret certe, nisi causae, quaecunque aliquem ineptum reddunt ad tutelam gerendam, sufficerent quoque ad eum a tutela suscepta amovendum;

3°. ineptos declarat Specimen, quos pater aut mater a liberorum tutela expresse exclusit; vitricum ineptum declarat ad privignorum tutelam, porro eos, qui domi-

---

1) Spec. art. 713.

cilium intra regnum nostrum non habent; tantum eos, ut et liberos eorum, qui alicujus testamentum scripserunt, aut coram quibus id factum est, quum ex eo tutela defertur. Codicem nostrum hasce omnes non accepisse causas, quae ineptos faciant, dolendum est, quum idoneo certe nitantur fundamento.

§ 12. Qui neque excusatur, neque prohibetur a tutela, hanc adire debet; quod nisi faciat, ejus periculo secundum Specimen tutor provisionalis a regimine municipali vel camera pupillari, secundumCodicem administrator a tribunale creatur 1).

§ 13. Quae causae secundum Specimen et quae secundum Codicem a tutela suscipienda excusant, multum inter sese conveniunt. Hoc vero animadvertendum est, Specimen omnes causas, quae ab adeunda tutela excusant, admittere etiam, ut quis a suscepta jam tutela liberetur, easque proponendas esse eodem plane modo, quo causae ante tutelam suscipiendam proponuntur 2). Haec aute observare liceat 3):

1°. extraneus ex Codice non cogitur ad tutelam suscipiendam, quum intra tribunalis jurisdictionem, in qua mandata est tutela, cognati sunt vel affines, tutelae gerendae habiles; idque omnino recte statutum est, tutela enim proprie est onus familiae 4)

2°. a tutela Specimen excusat adscendentes, fratres, patruum et avunculum, qui non eandem habitant provinciam, in qua tutela defertur, — ceteras personas,

---

1) Spec. art. 607 et 614; C. art. 387.
2) Spec. art. 612 et 613.
3) Spec. art. 608; C. art. 433 et 434.
4) de Pinto l. c. II. pag. 165.

quae non habitant intra tribunalis jurisdictionem, in qua tutela defertur.

3o. a tutela secundum Specimen excusatur, quicunque munera vel officia gerunt talia, quae aequas sibi praestant causas tutelae detrectandae; excusationem talem tunc demum admittit Codex, quum munera sunt publica, quae illis extra provinciam mandata sunt, vel quae illos cogunt, ut provinciam certis temporibus relinquant;

4o. ab adeunda tutela aetas sexagenaria tam secundum Codicem quam secundum Specimen excusat; ab adita vero tutela Codex non excusat nisi eum, qui aetatis annum sexagesimum quintum implevit;

5o. qui liberos quinque habent, excusantur quidem ab adeunda tutela, attamen secundum Codicem minime a suscepta jam tutela;

6o. Specimen a tutela excusat eos, qui jam tutelis vel curis duabus onerati sunt, Codex vera a tutela suscipienda excusat orbum, duabus oneratum tutelis, et eum, cui, unum usque ad quatuor liberos habenti, tutela mandata est una;

7o. nullam Codex admittit excusationem, qua ipse pater liberorum suorum tutela liberetur;

8o. Specimen excusat quoque eum, qui propter paupertatem oneri tutelae ferendo par non est.

§ 14. Qui excusare sese volunt, causam allegare debent secundum Specimen ad regimen municipale vel cameram pupillarem, secundum Codicem ad tribunal; facere autem illud debet secundum Specimen intra duas hebdomades inde a die, quo se nominatum audierit tutor, secundum Codicem intra 8 dies inde a die creationis, cui quum adfuerit tutor, — aut a facta insinuatione; secundum Specimen, nisi alii sunt tutores, tutelae ad-

ministrationi providere potest regimen municipale vel camera pupillaris, quamdiu deliberatio pendet, aut quum tutor creationis tempore extra regnum moratur, ex Codice vero tutor, excusationis causam allegans, tutelam nihilominus provisionaliter gerere debet, — causa rejecta, appellatio per idem tempus patet, attamen, hac pendente, tutorem jubet Specimen tutelam suscipere 1).

CAPUT XIX.

DE TUTORUM OFFICIIS ET POTESTATE 2).

SECTIO I.

De tutorum officiis.

§ 1. Tutori dativo, antequam hic adeat tutelam, Codex imponit officium praestandi coram judice cantonnali jurisjurandi, se mandatam sibi tutelam recte et fideliter administraturum esse 3). Hujus autem loco jubet Specimen omnes tutores, parentibus et majoribus tantum exceptis, simulac sese auditos cognoverint, apud regimen municipale vel cameram pupillarem scripto se adstringere ad tutelam fideliter et pro potestate sua gerendam et pupillorum commoda omnino recte curanda 4).

1) Spec. art. 609—611; C. art. 435.

2) Mr. P. R. van den Berg: proeve over het beheer van den voogd. — Utrecht 1849.

3) C. art. 419.

4) Spec. art. 615.

Promissionis talis utilitatem non perspicio; scriptum enim illud non magis adstringit tutorem, quam ipsa legis verba, quae tutoris officia describunt 1). Codicis nostri jusjurandum praefero, quippe quod Dei invocatio hominum conscientiam arctius obstringat; jusjurandum tale et pristino juri patrio notum erat 2).

§ 2. Sic autem morali instituta obligatione, realem quoque constituere cogitaverunt legislatores nostri. Pupillis enim tacitum pignus legale dabat Specimen anni 1816 in tutoris bona 3). Hoc autem Specimen anni 1820 non recepit, sed pro his, quae pupillis tutoris debent, privilegium iis concessit in bona tutorum 4). Hoc autem rursus mutavit Codex, qui non tantum hypothecam minoribus concessit, sed et privilegium in bona tutorum, in quantum hypotheca non suffecerit, ut recuperarent pupilli, quae iis debent tutores 5). Hypotheca autem haec datur pro pecuniae summa, quae tutelae administrationi convenit; summa haec constituitur a judice cantonnali, auditis tutore, tutore subrogato et minorum cognatis et affinibus; judicis sententia provisionaliter exsecutioni mandatur, salva appellatione, personis auditis concessa; minorum facultatibus crescentibus aut praeter tutoris culpam decrescentibus, hypothecam augeri aut diminui peti potest; hypotheca constitutur acto authentico aut privato; hypothecam illam impedire vel datam mutare potest tutor hypotheca, in bona tertii consentientis constituenda, aut inscriptioni-

1) Donker Curtius, l. c. pag. 284 et 285.
2) De Groot l. c. I. 9. § 1.
3) Spec. anni 1816. art. 1728.
4) Spec. art. 3463 n°. 3, Voorduin l. c. I. pag. 218.
5) C. art. 1195 n° 7.

bus in libro majore aeris alieni nationalis in pupillorum gratiam obligandis 1).

§ 3. Pupillorum orborum tutores simul ac se nominatos audiverunt, curare tenentur secundum Specimen per obsignationem aliosque modos aptos, ut hereditas salva maneat 2); locum non habet obsignatio, quum pupillorum parentum alter adhuc vivit et hereditatem possidet, aut quum haec, parentibus utrisque defunctis, a pupillorum vitrico vel noverca possidetur 3). Equidem reprehendendum puto, quod absolute tenentur tutores ad obsignationem, ac sufficere, immo praeferendam esse existimo obsignationis facultatem, iis a Codice nostro de meth. proced. in caus. civil. tributam 4); quia fieri interdum potest obsignationem non requiri, atque eam magis nocere quam prodesse 5). Quod dicit locus citatus Codicis de meth. proced. rectius tamen ipsi Codici Civili apponeretur, nihil enim nisi obsignationis formae ad Codicem illum pertinent. Illud porro in Specimine vitupero, hoc tutoribus denegare obsignandi facultatem, si superest vitricus vel noverca; hi enim extraneis exaequandi sunt, saepius quoque illis minor etiam habenda est fides quam his. Aequum sane est Speciminis praeceptum, obsignationem omni decentia perficiendam esse, atque eam praeter necessitatem nocere non oportere mercaturae aut opificio, quod defunctus exercitabat et quod in pnpillorum commodum continuari potest 6). Similiter jure nos-

1) C. art. 390—399.
2) Spec. art. 616.
3) Spec. art. 625.
4) C. de meth. proced. in caus. civil. art. 659 1°.
5) Donker Curtius l. c. pag. 285—290.
6) Spec. art. 618.

tro extra obsignationem teneri possunt res tales, quarum obsignatio noceret, quo casu rerum earum brevis facienda est descriptio 1). Resignationem fieri jubet Specimen quam citissime; eam secundum Codicem postulare debet tutor intra dies decem, postquam tutelam adiit, ita tamen, ne fiat praeter necessitatem intra dies tres post defuncti sepulturam, quum ante hanc locum habuerit obsignatio,—aut post obsignationem, quum post sepulturam demum haec obtinuerit 2).

§ 4. Resignatione facta, inventarium conficiendum est acto authentico, aut privato 3). Hoc coram proximis duobus mortui cognatis vel amicis perfici jubet Specimen, Codex vero postulat inventarium facere tutorem, praesente tutore subrogato, idque ab utroque subsignari. Tutorem jubet quoque Codex in inventario memorare, si quid pupillus ei debeat; quodsi hoc facere neglexit ille, debitum illud ante pupilli majorem aetatem exigere nequit tutor, atque usuras medii temporis inter confectum inventarium usque ad pupilli majorem aetatem amittit, licet medio illo tempore contra tutorem non currat praescriptio 4). Merito huc apposita videtur regula: „contra agere non valentem non currit praescriptio"; plane crediti amissio nimis dura esset poena pro tutoris culpa levissima vel negligentia,—et usurarum amissio satis attentum reddet tutorem, ut in conficiendo inventario nomen suum profiteatur. Inventarium privatum perfectum transferri jubet Codex in judicis cantonnalis graphium; Specimen vero, quocunque modo confecti inventarii grossam

1) C. de meth. proced. in caus. civil, art. 666.

2) Spec. art. 619; C. art. 444; C. de meth. proced. art. 669.

3) Spec. art. 619. C. art. 444.

4) C. art. 445.

aut exemplum intra duos menses post resignationem inceptam ad regimen municipale aut cameram pupillarem transferendum esse a tutoribus statuit; quod tempus mensium duorum prorogari nequit nisi gravissimas ob causas, neque tempus concedendum est diuturnius, quam absolute requiritur 1). Et Specimen et Codex inventarium a tutore confirmari jurejurando requirit; hoc fieri praeterea ab illis, qui in conficiendo inventario bona designarunt, postulat Specimen. Tutores quum non satisfaciant officiis suis ad resignationem, inventarisationem, inventarii grossam aut exemplum transferendam et jurisjurandi praestationem mulctantur secundum Specimen mulcta centum florenorum, et, quodsi intra sex hebdomades non perfecerint officium, a tutela amoventur, aliusque tutor eorum periculo creatur 2). Inventarium amplians confici jubet Specimen, quum in ipso inventario aut quaedam omissa, aut perperam memorata sunt quaedam, aut quum bona quaedam acquisiverunt pupilli postea; quod de inventarii grossae aut exempli translatione ejusque confirmatione per jusjurandum dictum est, ad hunc quoque inventarium amplians pertinet 3).

Quodsi parentum alter vivit adhuc et defuncti hereditatem possidet, aut si haec, parentibus defunctis, possidetur a pupillorum vitrico vel noverca, petere debent tutores a defuncti conjuge superstite defuncti hereditatis inventarium; inventarii illius, intra duos menses confecti, grossam aut exemplum transferre eumque, tutoribus praesentibus, jurejurando confirmare debet conjux superstes; tempus illud graves ob causas prorogari potest;

1) Spec. art. 620 et 621; C. art. 444.

2) Spec. art. 622.

3) Spec. art. 623 et 624.

cum parentum superstite, contutore, in conficiendo inventario reliqui tutores concurrunt; quaecunque de inventario ampliante deque poena in tutores negligentes supra dicta sunt, ad casus quoque praesentes applicanda sunt. Sic autem statuit Specimen 1); Codex vero hoc ipso loco praecepta haec de re specialia non continet, unum tamen illud jubet in loco de communione legali 2), conjugem superstitem, si restant liberi minores, intra menses tres conficere oportere inventarium rerum communium, praesente tutore subrogato, — quibus non observatis, in minorum commodum quidem, non vero in eorum damnum continuatur communio.

§ 5. Hisce peractis, secundum Specimen debent tutores ad hereditatis separationem et divisionem procedere, pupillorumque portionis hereditariae administrationem suscipere, rationibus a conjuge superstite redditis. Administratio nihilominus est parentis superstitis, si hic a praedefuncto contutor creatus est, — nisi aut testator aut regimen municipale vel camera pupillaris ad tutorum petitionem aliter jusserit. Per spatium inde a testatoris morte usque ad hereditatis divisionem is, qui hereditatem possidet, tutoribus consultis, pupillorum curationi et educationi prospicit. Quum conjux superstes unicus tutor creatus ad bona pupillorum, aut cum conjuge praedefuncto in communione universali vixit, aut ab hoc coheres institutus est, inventarium facere non tenetur sed communionem secundum tituli VI praecepta continuare potest 3). Pater superstes, nuptias novas initurus, tutoribus, ad id nominatis, probare debet de his, quae li-

1) Spec. art. 622—629.
2) C. art. 182.
3) Spec. art. 630—633.

beris minoribus ex hereditate matris praemortuae debentur; eodem in casu tenetur mater tutoribus de liberorum bonis paternis rationes reddere, iisque bona haec administranda tradere. Ipsis his casibus continuata communione, tutores partiarii aut tutores non tenentur plenum exigere inventarium, sed sufficit hereditatis inspectio summaria conjugemque deinde superstitem rationes reddere transactionis modo secundum tituli IX praecepta; quum tamen hac in re bonam patris matrisve fidem dubitant tutores, hi inventarium plenum, jurejurando confirmandum, ut perficiatur, postulare possunt; quum, inventario inspecto, lis adhuc manet de bonis, liberis competentibus, rem judicabit tribunal 1).

§ 6. Tutor secundum Codicem obligatus est pupilli personam curare 2); fusius illud tutoris officium describit Specimen, quod tutores ad personam pupillorum jubet hosce ad virtutem et bonos mores instituere, eosque secundum statum et facultates educare, in quo, quantum fieri potest, parentum voluntatem sequi debent 3). Perse patet et praeterea praecipit Specimen, educationis expensas e pupullorum reditibus solvendas esse; quodsi reditus illi non sufficiunt, Specimen huic rei adhiberi permittit ipsius sortis partem, consentiente regimine municipali vel camera pupillari 4). Prudens hoc loco praeceptum continet Codex, quod statuit, judicem cantonnalem in quacunque tutela, excepta parentum tutela, suscipienda, audito tutore subrogato et advocatis pupillorum cognatis affinibusve, pecuniae summam constitue-

1) Spec. art. 634—639.

2) C. art. 441.

3) Spec. art. 640 et 641.

4) Spec. art. 642.

re oportere; quam quotannis consumere possit pupillus, et praeterea impensas administrationi adhibendas 1). Tenentur tutores secundum Specimen pupillorum hereditatem, quantum fieri potest, adaequare; quod ut perficiatur, quantum fieri potest, curare debent tutores, ut, quae pupillis debeantur, debitores solvant, et ut, quae a pupillis debeantur, creditoribus quam citissime solvantur 2); haec quidem non expresse jubet Codex, attamen suadet sane officium tutoris, qui ut bonus paterfamilias rem pupilli gerere debet 3). — Curare, debent tutores secundum Specimen, bona in conditione ut serventer bona immobilia, et quam lucrative locentur in tempus, non excedens sexennium; bona mobilia, quae servando corrumpuntur aut valore diminuuntur, vendenda et reliqua, pro rerum opportunitate, servanda aut vendenda sunt 4). Secundum Codicem autem omnia suppellectilia a pupillo acquisita, omnia deinde bona mobilia, quae fructus aut reditus nullos praestant, vendere debet tutor, iis tantum exceptis, quae judex cantonnalis, auditis vel advocatis pupilli cognatis affinibusve et tutore subrogato, servari permisit; venditio haec, nisi contrarium permiserit tribunal, facienda est publice, ut majus inde pupillis profluat lucrum, neque tutoris fraus timenda sit; mercium tamen et fructuum venditio publica non requiritur 5). Ab illius venditionis obligatione Codex liberat patrem matremque, in quantum liberorum bonorum usumfructum habent; hoc vero casu bona illa servanda ab experte, qui, a tutore subrogato creatus,

1) C. art. 446.

2) Spec. art. 643—645.

3) C. art. 443.

4) Spec. art. 646 et 647.

5) C. art. 447.

apud judicem cantonnalem jusjurandum praestitit, aestimanda sunt 1). Pupillorum reditus, expensas superantes, a tutoribus ponendi (beleggen) sunt, Codex tamen tunc demum illud postulat, quum id, quod restat, redituum ordinariorum partem quartam superat, pecunia autem haec ponenda est in inscriptiones in libro majore aeris alieni nationalis; porro secundum Specimen in agros, aut in hypothecas, in agros sumtas, quorum valor dimidio minimum major est, quam summa ponenda; deinde secundum Codicem rebus immobilibus emendis, aut hypothecis, ponendis in bona immobilia, quorum valor, hypotheca nulla oneratus, summam ponendam tertiam minimum partem excedit. Tutor, qui intra annum officio huic non satisfecit, secundum Codicem legitimas debet usuras; secundum Specimen vero, quum tutor illud per menses tantum sex neglexit, usuras debet maximas, quas sors, in inscriptiones in libro majore aeris alieni natiolis posita, producere potuisset 2). Curam gerere tenentur tutores secundum Specimen rerum pretiosarum, obligationum, literarum argentariarum aliarumque rerum, quae valorem habent, et quidem ita etiam, ne alter tutorum, invito altero, de hisce statuere possit; haec igitur servanda sunt in cista, diversis munita seris, quarum alterius alter tutor clavem habet; alter alteri tutor responsabilis est pro negligentia hac in re 3). De rebus pretiosis praeceptum tale non continet Codex, quum eae, quippe nullos fructus producentes, regulariter non serventur; quo tamen certiores sint res pupillorum, praecipit Codex 4),

1) C. art. 448.

2) Spec. art. 648 et 649; C. art. 449.

3) Spec. art. 650.

4) C. art. 450.

aeris alieni nationalis documenta tutorem curare transscribi in librum majorem: quod ut fiat, videre debet tutor subrogatus sub poena damni resarciendi. Quum in hereditate reperiuntur obligationes vel nomina, quibus renuntiari potest, id facere debet tutor secundum Specimen 1), nisi res, pro hypotheeis illis obligatae, dimidio saltem plus valent, quam pecunia illa credita. — Si plures sunt tutores, eum administrare jubet Specimen, quem aut testator aut regimen municipale vel camera pupillaris ad id nominavit; aut quem tutores ipsi ad hoc elegerunt, nisi praetulerint administrationem inter se dividere; quum hac de re convenire non possunt tutores, regimen municipale vel camera pupillaris decernit 2). Tutori administranti petenti consilium semper dare tenentur contutores; contutores, simulac postulant, informare tenetur tutor de administratione; continuam instituere debent illi tutelam (toezigt) in pupilli educationem ejusque bonorum administrationem 3). Tutorem, officio negligenter functum, serio hac de re disserere debent contutores, imo, si necesse est, invocare tenentur regiminis municipalis vel camerae pupillaris interventionem 4); officium, contutoribus hic impositum, Codex noster mandat tutori subrogato, qui videat, num recte officio perfungatur tutor 5). Quum plures sunt tutores ad pupilli personam, quicunque actus ad hanc pertinent, perficiendi sunt ab universis tutoridus, nisi unus eorum solus administrat; quum peculiares sunt tutores ad bo-

1) Spec. art. 682.
2) Spec. art. 653—655.
3) Spec. art. 656—658.
4) Spec. art. 659.
5) C. art. 427—430.

na, et de bonis hisce agitur, horum tutorum interventio una cum tutoribus ad personam requiritur; licet vero sejuncta sit tutela ad personam et tutela ad bona, res judicata exsecutioni mandari tamen potest in omnia bona pupilli, sub quacunque sint administratione, nisi expresse id prohibuerit testator vel donator 1). Adhuc prohibet Specimen parentes aliumve testatorem tutoribus, a se nominatis., aliquid ex officiis hisce omnibus remittere 2).

SECTIO II.

De tutorum potestate.

§ 1. Potestatem, parentibus concessam, liberorum minorum inclusionis petendae, eandem erga pupillos tutoribus concedunt Specimen et Codex, hoc tamen prudenter addit Codex, tribunal hanc non concedere inclusionem, nisi auditis vel advocatis pupilli cognatis affinibusve et tutore subrogato 3).

§ 2. Jure Romano et pristino Hollandico praeterquam quod inutiles essent minorum actus, sine tutorum auctoritate a minore, perfecti, extraordinarium etiam pupillis concedebatur juris remedium restitutionis in integrum propter laesionem enormem contra actus, ceteroquin secundum legis praecepta initos 4). Idem juris

1) Spec. art. 684.

2) Spec. art. 660.

3) Spec. art. 662; C. art. 442.

4) L. 6, l. 16 pr. D. de minor.; Voet ad tit. D. de minor. 52 et 53; de Groot l. c. III. 48. § 9—13.

remedium et Specimen pupillis, majori factis, concedit nomine relief 1). Codex vero actus illos, secundum legem initos, propter pupillorum laesionem rescindi non permittit, sed pupillis concedit tantum in tutores actionem damni resarciendi 2), idque recte sic mutatum videtur, iniquissimum enim esset, alios, qui cum minore, lege observata, contraxissent, in incertudine et dubiis teneri continuis 3). — Tutoris auctoritatem non requirit Specimen, ubi minor se defendit contra intercessionem promulgationibus vel ipsis nuptiis factam 4).

§ 3. Quaedam vero tutor facere nequit pro pupillo, nisi ad hoc specialem acceperit potestatem. Haec autem potestas secundum Specimen permittitur a regimine municipali vel camera pupillari, auditis interdum cognatis, — secundum Codicem vero a tribunale aut a judice cantonnali, auditis cognatis affinibusve et tutore subrogato. Si tutor, debita non impetrata potestate, vel actionem pro pupillo instituit, vel contra illam se defendit, secundum Specimen ad damnum resarciendum tenetur, si in pupilli damnum res judicetur, — secundum Codicem vero a judice condemnari potest in litis impensas, quum sine causa idonea egerit, salva ejus obligatione damni resarciendi; nec acquiescere tutorem permittit Codex in actione, contra pupillum intenta, nisi eadem a judice cantonnali accepta potestate 5). — Ut hereditatem pro pupillo aut adeat tutor, aut repudiet, Specimen requirit eum prius accipere potestatem; permit-

1) Spec. art. 665, 3494 sqq.
2) C. art. 1484 et 1486.
3) De Pinto l. c. II. pag. 509—512.
4) Spec. art. 670.
5) Spec. art. 671; C. art. 461 et 462.

titur aditio aut pura aut sub beneficio inventarii; ad repudiandam hereditatem quoque Codex requirit tutorem accipere tribunalis permissum, quum contra quod ad aditionem nihil Codex requirit praeter id unum, hereditatem tutorem adire sub inventarii beneficio 1), hoc enim casu non leviter damnum aliquod inde profluet pupillo. — Eandem potestatem requirit Specimen, ut pro pupillo tutor accipiat donationem vel legatum, cui onus conjunctum est; idem quoque Codex postulat, ut donationem, pupillo factam, accipiat tutor 2). — Ut tutor pro pupillo mutuam accipiat pecuniam, item requirit Codex, ut hujus potestatem ei faciat tribunal 3). — Idem requiritur, quum alienanda sunt bona immobilia pupilli, hac vero de re illud speciale adhuc statuit Codex, tutorem, venditionem petentem, tribunali simul remittere debere statum pupilli bonorum, ut ipse judex judicet, quaenam bona optime alienari possint 4). — Judicis cantonnalis permissionem quoque requirit Codex, ut tutor separationem vel divisionem pro pupillo petat 5). — Tutorem sub poena damni resarciendi Specimen prohibet, quominus mercaturam, fabricam, tabernam, a pupilli patre matreve exercitatam, continuet in pupilli gratiam, nisi expresse id jusserit testator, aut permiserit regimen municipale vel camera pupillaris 6).

§ 4. Bonorum pupillarium venditio publice fieri debet. Specimen vero permittit privatam venditionem magnas

---

1) Spec. art. 674 et 675; C. art. 459.
2) Spec. art. 676; C. art. 460.
3) C. art. 451.
4) Spec. art. 677—680; C. art. 451 et 452.
5) C. art. 463.
6) Spec. art. 672.

ob causas. tutoribus petentibus, concedere posse regimen municipale vel cameram pupillarem, auditis pupilli cognatis. Publica venditio illa secundum Codicem fieri debet praesente tutore subrogato; rerum mobilium venditionem privatam permittere potest tribunal, auditis vel advocatis cognatis vel affinibus et tutore subrogato, ita ut res illae vendantur pro pretio vel supra id, quo aestimatae sint ab expertibus; quod ad bona immobilia idem concedere potest tribunal ad tutoris petitionem et omnibus consentientibus et tutore subrogato et cognatis affinibusve, qui advenerunt, ita ut bona illa vendi nequeant infra pretium, quo aestimata sint ab expertibus tribus 1). Duo etiam praecepta Codex continet, quae omnem tutoris fraudem impediant; tutorem enim rem pupilli immobilem emere non aliter permittit Codex nisi in venditione publica; Codicem vero praeterea exigere omnia, quae, ut privata fiat venditio rei immobilis, requiruntur, superflua esse puto, quum, in auctione publica quomodo tutor, magis quam extraneus, fraudare possit, non perspiciam; — secundo loco tutorem pupilli bona conducere vetat Codex, nisi conditiones a judice cantonnali, auditis vel advocatis cognatis affinibusve et tutore subrogato probatae sint, et, nisi eadem observata sunt, prohibet tutorem jura aut nomina contra pupillum accipere 2).

1) Spec. art. 683; C. art. 447, 453—456.

2) C. 457 et 458.

CAPUT XX.

DE TUTELA FINIENDA.

§ 1. Tutelam restringi per emancipationem et quinam sint modi, quibus tutela, et illi, quibus tutoris administratio finiatur, Specimen enumerat 1), quae omnia, licet expresse non statuta, e reliquis legis praeceptis satis jam paterent. Tutores rationes reddere jubet Specimen regimini municipali aut camerae pupillari, quoties haec, vi tutelae supremae, illud postulent; tutor administrans semel par annum contutoribus rationes reddere obligatus est. Quum ille annum jam et sex menses praeterlabi passus est, hujus rei certius facere debent contutores regimen municipale vel cameram pupillarem, a quo tunc, tutore administrante audito, dies constituatur ad rationes coram regimine municipali vel camera pupillari contutoribus reddendas. Quum jam iterum moratur tutor, nullis allatis causis justis, civili coërcitione cogi potest, et alius interea tutor administrationem suscipere jubetur; idem juris est, quodsi rationum redditio ab ipso regimine municipali vel camera pupillari, aut a tutore succedente exigatur 2). Patre et matre excepto, tutor secundum Codicem tenetur semel per biennium summarias rationes reddere tutori subrogato, eique literas pupilli argentarias monstrare; quodsi in rationibus hisce dolus vel culpa lata appareat, aut omnino recuset tutor rationes reddere, ut tutor removeatur, postulare debet tutor subrogatus; ad rationes reddendas eum deinde cogi posse

1) Spec. art. 685 et 687.

2) Spec. art. 689—692.

per bonorum venditionem et coercitionem civilem concedit Codex noster de meth. proced. in caus. civil. 1). — Eorum, quae rationes continere debeant, regulas satis per se jam perspicuas, exhibet Specimen 2). Apocha generalis aut transactio inter tutorem et majorem factum de his, quae ille ex tutela debet, tutorem a rationibus reddendis non liberat 3), — quod ita statutum videtur, ne aetate major nimia verecundia in eum, qui ejus tutor fuerit, decipiatur 4). Eundem in finem nullos declarat Codex actus omnes de tutela, inter eos, qui tutor et pupillus fuerunt, perfectos, quibus non ante dies decem praecessit rationum redditio plena 5).

§ 2. Jure nostro nullam generaliter mercedem exigere potest tutor, nisi quam parens superstes, tutori, ab eo creato, concessit. Specimen contra universis simul tutoribus, parentibus et majoribus exceptis, concedit redituum partem quadragesimam, expensarum partem octogesimam, pecuniae numeratae partem centesimam; praeterea extraordinarium propter laborem summa quaedam exigi potest, de qua si lis oritur, decidit regimen municipale vel camera pupillaris 6).

§ 3. Rationibus redditis et probatis, omnia bona pupillaria tutorem tradere jubet Specimen, acto demissionis accepto; de rationibus vero lite orta, tutor nihilominus pro apocha provisionali pupillo solvere tenetur, quod se debere agnoscit 7). Sic quoque Codex noster de meth.

1) C. art. 429 et 430; C. de meth. proc. in C. C. art. 772.
2) Spec. art. 695—699.
3) Spec. art. 694.
4) Donker Curtius, l. c. pag. 302—304.
5) C. art. 470.
6) Spec. art. 700 et 701; C. art. 469.
7) Spec. art. 702.

procced. in caus. civil. permittit, ut is, cui reddantur rationes, a judice commissario petat, mandatum (bevelschrift), quo jubeatur provisionalis solutio ejus, quod is, qui rationes reddiderit, sese debere professus sit, licet propterea probata non censeantur rationes 1). Juris nostri regula est, usuras non currere nisi a die, quo petuntur, vel a die morae 2); ab hac vero regula exceptionem admittit Codex in gratiam pupilli; horum enim, quae huic tutor, tutela finita, debet, usurae statim currunt; hoc igitur casu dies interpellat pro homine; suspicatur enim lex tutoris reverentia retineri posse pupillum, quominus hic illum in jus vocet, neque hac reverentia abuti tutorem sinit 3).

§ 4. De tutorum responsabilitate quaedam adhuc Specimen praecepta continet. Si enim ex pluribus tutoribus uni aut per testamentum aut per regimen municipale vel cameram pupillarem tutelae administratio mandata est, hic unus responsabilis est; ceteri tamen tutores in solidum obligantur, si in petendis a turore administrante rationibus negligentes fuerunt 4). Jure nostro tutorem subrogatum, qui hac in re negligens fuerit, ad damnum resarciendum teneri ex regula generali Codicis art[i] 1401 satis apparet. Si autem administratio per testamentum aut a regimine municipali vel camera pupillari inter tutores divisa est, singuli pro sua tantum administratione tenentur; quum duo pluresve tutores una administrarunt, vel tutelam inter se diviserunt; vel ex se uni administrationem mandarunt, in solidum singuli tenentur 5).

1) C. de meth. proced. in caus. civil. art. 774.
2) C. art. 1286.
3) C. art. 471; de Pinto l. c. II. pag. 179 et 180.
4) Spec. art. 703 et 704.
5) Spec. art. 705 et 706.

§ 5. Pupillo denegat Specimen actionem damni resarciendi contra regimen municipale vel cameram pupillarem, et quidem naturali ratione; haec enim corpora, qua talia, bona non possident 1). Conceditur tamen haec actio pupillo contra personas privatas, collegiorum illorum membra, tam sejunctas, quam conjunctas, propter dolum et culpam latam in tutela administranda 2); num recte sic extendatur responsabilitas, et num ea per praxin probaretur, vehementer dubito, non facile enim reperirentur homines, qui munus tale suscipere auderent, neque alicujus bona sufficerent responsabilitati pro omnibus totius municipii tutelis 3).

§ 6. Secundum Specimen actio tutelae directa et contraria praescribitur lapsu decennii; brevem hanc praescriptionem ad solam directam tutelae actionem coarctavit Codex, quia ratio, tutorem, qui gratis tutelam gesserit, nimis diu expositum non esse debere petitionibus, contra quas, longiore praeterlapso tempore difficilius se defendere possit, in actione contraria cadit 4).

§ 7. Tutoris amovendi et removendi jus secundum Specimen exercetur a regimine municipali vel camera pupillari, sive ex officio, sive ad petitionem cognatorum vel contutorum, secundum Codicem vero a tribunale, ad petitionem tutoris subrogati, aut cognati vel affinis usque ad gradum quartum pupillo juncti, aut requirente ministerio publico, salva appellatione 5). Pendente lite, quum urget necessitas, tutorem in administratione suspendere et

1) Donker Curtius l. c. pag. 278 et 279.
2) Spec. art. 709.
3) Donker Curtius l. c. pag. 305—307.
4) Spec. art. 712; C. art. 472.
5) Spec. art. 715; C. art. 438 et 439.

tutelae ut interea provideat tribunal, Codex permittit. Tandem statuit Specimen, quodsi non quidem causa sit amotionis aut remotionis, attamen tutor unicus tam negligens sit, ut minorum commoda ei mandari non posse videantur, contutorem tunc illi adjungi posse, qui una cum eo tutelam administret 1).

CAPUT XXI.

DE EMANCIPATIONE 2).

§ 1. Veniae aetatis literae secundum Specimen conceduntur a rege, curiae supremae consilio audito; secundum Codicem vero ab ipsa curia suprema permittuntur literae illae, quae tamen non nisi a rege probatae, valent 3). Potestas haec antiquo jure nostro summo imperanti competebat, quum dispensationem a jure communi contineret 4). Nunc vero, quum lex ipsa veniam aetatis permittat, dispensatio haec a jure communi esse desinit, quapropter cadit ratio, cur principi potestas illa concedatur 5). Mirandum tamen est discrimen, quod Codex admittit inter casum legitimationis et casum veniae aetatis; literae enim veniae aetatis quum conceduntur a cu-

1) Spec. art. 717.

2) Zegers Veeckens: diss. de emancipat. ex princ. princip. juris Neerl. — L. B. 1839; van Sittert: de emancip. — L. B. 1839.

3) Spec. art. 727 et C. art 474.

4) de Groot l. c. I. 10. § 3; Voet ad tit. D. de min. 25 ann. 4.

5) Donker Curtius l. c. pag. 315—317; de Pinto II. pag. 182.

ria suprema et a rege probandae sunt, — legitimationis literae conceduntur a rege, audito curiae supremae consilio. Statuit Codex, hujus veniae aetatis petitioni adjungere debere minorem instrumentum natalicium, vel, hoc deficiente, aliud documentum, unde aetas satis appareat 1). Curia suprema secundum Specimen tenetur petitionem, sibi oblatam, petitoris domicilii regimini remittere, quod, minoris parentibus, tutoribus vel cognatis auditis, observationes et considerationes curiae offerat. Curia suprema priusquam de petitione decernat, audit vel advocat patrem, vel, hoc deficiente, matrem, vel, hac quoque deficiente, tutorem, tutorem subrogatum, cognatos affinesve; curia suprema aut ipsa personas illas audit, aut munus illud secundum Codicem pro temporibus mandat tribunali vel judici cantonnali, cujus auscultationis documentum, animadversionibus requisitis additis, curiae supremae remittatur 2). — Veniae aetatis literae in eo coarctare possunt secundum Codicem minoris jura, quod eum defendant, priusquam aetatis annos 23 impleverit, bona immobilia alienare vel obligare, nisi consentiente tribunale, aut patre, aut, hoc deficiente, cognatis affinibusve auditis 3). Hoc autem novi aliquid non esse apparet ex Hugone Grotio, qui dicit, majores declaratos non, nisi magistratu consentiente, alienare posse bona immobilia, nisi illam quoque facultatem imperans expresse indulsisset 4).

§ 2. Parentibus deficientibus, ut minori petenti judex cantonnalis, tutore, tutore subrogato, cognatis affini-

---

1) C. art. 475.

2) Spec. art. 728 et C. art. 476 et 477.

3) C. art. 479.

4) de Groot l. c. I. 10. § 3.

busve auditis, vel advocatis, emancipationem minori concedat, Codex permittit; — eandem judici cantonnali potestatem tribuit Specimen ad petitionem tutoris, auditis proximis cognatis, — aut ad petitionem cognatorum affiniumve, usque ad gradum quartum pupillo conjunctorum, tutore audito 1). — Emancipato Specimen concedit jus locandi conducendi in tempus, annos 9 non superans, redituum accipiendorum et bonorum administrandorum; actionem tamen, quae ab bona immobilia pertinet, intendere minime potest emancipatus, neque contra illam se defendere; neque sortem aliquam accipere, neque pecuniam accipere mutuam, neque bona immobilia alienare vel obligare; ut mercaturam agat emancipatus, specialis requiritur patris, matris, tutorisve declaratio, a tribunale comprobata, rite deinde proclamata 2). Varia secundum Codicem emancipato ipso emancipationis acto concedi possunt jura, quae omnia expresse definienda sunt; haec tamen alterius sese extendere nequeunt quam ad reditus accipiendos, expendendos, administrandos, ad locationes perficiendas, ad agros colendos et ea, quae huc pertinent, agenda, ad opificia exercenda, ad fabricam constituendam aut participandam, ad mercaturam agendam, quibus ultimis duobus in casibus omnes inire potest emancipatus contractus, ad fabricam illam aut mercaturam pertinentes, excepta tantum rerum immobilium obligatione et alienatione 3). — Quum emancipatione abutitur emancipatus, secundum Specimen tolli illa potest ad petitionem patris, matris, tutoris, cognatorum affiniumve et iisdem formis adhibitis, quae in eman-

1) Spec. art. art. 720 et 721; C. art. 481.

2) Spec. art. 722—724, 507 et 508.

3) C. art. 482—484.

cipatione obtinuerunt; secundum Codicem idem ad earundem personarum petitionem fieri potest, attamen a tribunale, ministerio publico audito, et quidem non tantum quum emancipatione abutitur emancipatus, sed etiam, quum metus justus est, ne hoc faciat 1). Aliam deinde fieri non prohibet Codex emancipationem, quam Specimen tacite excludit, quum statuit minorem, emancipatione sublata, ad plenam usque majorem aetatem sub tutela manere 2). — Venia aetatis et emancipatio, et emancipationis sublatio ut contra tertios valeat, secundum Codicem publicanda est ejus appositione ephemeridi officiali et ephemeridi minoris domicilii, aut, hac deficiente, loci proximi; et omnino recte ita statutum est, quum aliorum multum sane intersit hanc rem cognoscere 3). Promulgationem Specimen quoque requirit, quum parentes eorumve superstes liberos permittunt, ut exerceant hi opificium vel mercaturam 4).

CAPUT XXII.

DE CURA 5).

§ 1. Sub curam ponuntur:

1o. secundum Specimen cerebrosi (krankzinnigen), de-

1) Spec. art. 725; C. art. 485.

2) de Pinto l. c. II. pag. 185.

3) C. art. 486.

4) Spec. art. 507.

5) Regtsgel. bijdr. V. pag. 230—240; Schlichtenbrec: annotat. ad tit. C. C. de cura. — L. B. 1841.

mentes, omnesque, qui mentis satis compotes non sunt; secundum Codicem imbecilli, cerebrosi, furiosi;

2o. prodigi, et quidem Specimen prodigitatem requirit talem, quae ad egestatem ducat;

3o. secundum Specimen illi, qui continuo tam ebrii sunt, ut, inde ne damna ipsis aliisve profluant, timendum sit; hi autem jure nostro sub curam poni nequeunt, nisi ad insaniam aut prodigitatem ebrietas duxerit;

4o. secundum Specimen surdi, muti, caeci, aetate multum provecti et qui continuo morbo laborant, dummodo ipsi petant curam in eamve consentiant 1). Jure quoque Romano et pristino patrio hoc casu cura permittebatur 2).

§ 2. Cura autem petitur:

1o. in casu dementiae secundum Specimen a conjuge, aut a cognatis affinibusve et a ministerio publico apud tribunal, attamen ab hoc non, nisi commodum publicum illud postulat; — eodem in casu secundum Codicem item a conjuge et a cognatis, — praeterea a ministerio publico in casu furoris, — atque in casu cerebrositatis et imbecillitatis, quum curandus neque conjugem, neque cognatos notos intra regnum habeat, — deinde ab illo ipso, qui rebus suis ob mentis infirmitatem se superesse non posse sentit. Omnino recte coarctasse mihi videtur Codex ministerii publici facultatem ad casum furoris; tunc enim ipsius demum interest civitatis; neque ministerio publico licere debet rebus familiaribus sese immiscere et curam petere eorum, quos domi colere cupiunt cognati, et quorum insania nemini nocet 3);

1) Spec. art. 731—733; C. art. 487.

2) § 4. J. de curat.; Voet ad tit. D. de curat. furios § 13; de Groot l. c. I. 11. § 2.

3) de Pinto l. c. II. pag. 186 et 187.

2°. in casu prodigitatis secundum Specimen a conjuge, cognatis affinibusve, secuudum Codicem a conjuge, cognatis in linea recta, et cognatis in linea collaterali, usque ad gradum quartum curando junctis;

3°. secundum Specimen in casu ebrietatis a conjuge, cognatis affinibusve.

4°. secundum Specimen in casu surditatis caet. ab ipso illo, qui vitiis hisce laborat 1).

§ 3. Tribunal priusquam curam concedit, secundum Specimen 2) ministerium publicum et eum, cujus cura petitur, audire et de rerum conditione cognoscere debet. Curae concedendae quaenam praecedere debeant, latius describit Codex, studio ductus, ne temere quis bonorum administratione interdicatur. Qui enim alicujus curam petit, petitioni suae addere debet tam documenta probatoria, quam testium designationem; quodsi facta satis ad rem facere judicet tribunal, cognatos affinesve audire debet, et praeterea conjugem, si ipse aliquis curam suam petit; petitio et cognatorum sententiarum expositio insinuandae sunt ei, cujus cura petitur, tunc is ipse interrogandus est, quae interrogatio, urgente necessitate, fieri quoque potest domi interrogandi a judicibus, ad id delegatis, addito graphiario et praesente ministerio publico. Omnibus hisce peractis aut statim de cura pronuntiat tribunal, aut testes audiri jubet; provisionalem administratorem nominare pro temporibus potest tribunal, qui personae et bonis curet. Sententia definitiva, auditis vel advocatis partibus et audito ministerio publico, in sessione publica proclamanda est; appellatio ad curiam provincialem patet. Sententiae omnes, quibus cu-

1) Spec. art. 733 et 734; C. art. 488—490.

2) Spec. art. 735.

ra conceditur, secundum Codicem intra dies decem a petitore insinuandae sunt curando et publicandae earum insertione ephemeridi officiali et provinciali sub poena damni resarciendi; quam publicationem fieri curat ministerium publicum, si quis ipse curam suam petiit 1). Publicam requirit Specimen curae concessae promulgationem et affictionem, quibus omissis contra tertios cura non valet 2).

§ 4. Curandus nihil agere potest. Concedit tamen prodigo Codex jus testamenti faciendi 3); an recte ita permissum sit, dubito; timendum enim est, ne is, quem rebus suis superesse non posse constat, adhuc, per testamentum de iis male disponat. Ulterius etiam progreditur Specimen; regulam enim ponit, curandos ipso jure non amittere facultatem testandi, attamen eos indigere consensu tribunalis, quod de seriae voluntatis possibilitate judicet; addit porro dementes testari non posse nisi dilucida per intervalla, tribunale consentiente; num recte medio illo tempore testandi facultas concedatur, dubito, valde enim difficile judicandum est, num quis revera tunc mentis compos sit, an apparentia externa fallat. — Actus quoque ante curam propter imbecillitatem, cerebrositatem aut furorem concessam perfecti secundum Codicem 4) rescindi possunt, quum horum actuum tempore curae causa jam existeret; mortuo tamen aliquo, ejus actus propter imbecillitatem, cerebrositatem vel furorem impugnari nequeunt, nisi cura ante illius mortem petita sit aut concessa, aut nisi ex ipsis illis actibus

1) C. art. 491—499.
2) Spec. art. 742.
3) C. art. 500.
4) C. art. 501, 502, 942.

morbi probatio profluat; haec tamen restrictio non pertinet ad testamenta, quippe quae ob sanae mentis defectum omnimodo impugnari licet. Specimen 1) vero regulam ponit, ex dementium actibus tunc demum non nasci jus petendi, quum ex ipsis actibus talis conditio apparet, aut hujus conscius erat creditor.

§ 5. Quum cura conceditur, simul secundum Specimen unum pluresve curatores nominat tribunal 2). Judici vero cantonnali munus illud mandat Codex, qui observare debeat, quae de tutore dativo creando statuta sint, et nominare curatorem et curatorem subrogatum; curatori illi rationes reddere debet administrator provisionalis, aut curatori subrogato, si administrator ipse curator electus est 3). Omnino recte curatorem quoque subrogatum eligi jubet Codex, quum Specimen, quod et unum curatorem creari permittit, longe minus securitatis curando praebet. — Maritus secundum Specimen uxores curandae curator creabitur, secundum Codicem ipso jure ejus curator fit 4). Addit Codex 5), mariti curandi curatricem creari posse uxorem; quo facto, judicem cantonnalem, cognatis affinibusve curandi auditis, curatorem subrogatum constituere et administrationis modum et conditiones statuere debere, salva uxoris appellatione ad tribunal; et recte ita statutum videtur; unum tantum illud reprehendo, quod uxori non liceat sese excusare, quum administrationi habilem se non esse sentiat. Porro Specimen

1) Spec. art. 2288.
2) Spec. art. 736.
3) C. art. 503.
4) Spec. art. 736; C. art. 504.
5) C. art. 505.

statuit judicem, nisi causae obstant, curatorem creare debere patrem vel cognatos curandi 1).

§ 6. Plura autem de tutela praecepta tam Specimen quam Codex 2) ad curam applicat. Sic quoque Codicis regula est 3) in omni cura unum tantum esse curatorem, quum Specimen plures admittit. Secundum Codicem 4) curator neque excusatus, neque exclusus, curam suscipere debet, Specimen 5) vero hac de re statuit, neminem invitum curatorem esse cogi, quod ad ridiculum ducere sane potest; quid enim, si omnes curam suscipere recusent? Ne tamen nimis sic oneret aliquem Codex, addit, neminem praeter adscendentes vel descendentes cogi posse, ut curam vel curam subrogatam ultra annos octo retineat 6). Causae quae a tutela excusant, secundum Codicem et a cura excusant 7); et quae causae aliquem inhabilem reddunt ad tutelam suscipiendam, aut eum a tutela amovent, eaedem in cura valent secundum Specimen et Codicem 8). Curatoribus officium imponit Specimen, ut, antequam curam suspiciant, ad tribunal scripto sese obligent, se curam, sibi mandatam, fideliter et pro potestate gesturos esse, et curandorum commodis semper prospecturos 9); mirandum videtur, Codicem curatoribus simile non imponere jusjurandum, quod tutoribus dativis, et quidem eo magis etiam quod illud curatori sub-

---

1) Spec. art. 736.
2) C. art. 506.
3) C. art. 386.
4) C. art. 387.
5) Spec. art. 744.
6) C. art. 515.
7) C. art. 433—435.
8) Spec. art. 743 et 745; C. art. 436 et 437.
9) Spec. art. 748.

rogato imponit 1). Quod Codex de hypotheca a tutore danda statuit, de cura idem valet, quum Specimen curandis idem tribuit privilegium in curatorum bona, quod pupillo in bona tutoris 2). — Curam testamentariam neque Specimen neque Codex agnoscit; nihilominus Specimen jubet, judicem, nisi obstent causae, cura necessaria judicata, prae ceteris illum eligere curatorem, quem parentes, aut, his deficientibus, majores vel generaliter illi, qui testamenti facti tempore proximi cognati erant, nominarunt, dummodo ambo hi ultimi curando reliquerint portionem, ab intestato ei debitam 3). — Curatoris subrogati officia secundum Codicem eadem sunt, quae tutoris subrogati 4).

Curator secundum Codicem curandi personam curare debet 5). Latius curatoris officium exponit Specimen, quo debet ille curandum semper observare et curare, ne hic sibi aliisve noceat; debet porro curandi ob vitia animi corporisve conditionem lenire, illiusque medicinam promovere, cui rei curandi bonorum reditus adhibere potest; idem hoc statuit Codex de curandi propter insaniam 6).

§ 7. Conjugem vel cognatos curandi una cum cura petenda, et, cura concessa, curatores, et semper ministerium publicum apud tribunal 7) Specimen permittit a tribunale petere, ut curandus in locum idoneum segregetur, quodsi aut ipsius curandi aut aliorum securitas postulet, ut tale quid fiat. Prudenter de petitione hac ju-

1) C. art. 426.
2) Spec. art. 3463 3°.; C. art. 390—399.
3) Spec. art. 746.
4) C. art. 424—432.
5) C. art. 441.
6) Spec. art. 750 et 751; C. art. 441 et 508.
7) Donker Curtius l. c. pag. 327 et 328.

judicare debet tribunal, eique non nisi in tempus certum, annum non superans, indulgere; tempore hoc praeterlapso, novus, si causae adhuc exstant, peti potest terminus: tribunalis sententia exsecutioni mandatur, licet appellatio interveniat 1). Similiter quidem aliquantum statuit Codex, attamen aliquid facit discrimen inter casum curandi ob insanam mentem et curandi prodigi. Pro morbo et fortuna curandi insani, ad curatoris petitionem, auditis vel advocatis cognatis affinibusve aut curatore subrogato, jubere potest tribunal curandum aut in ipsa ejus domo, aut in nosocomio curari, aut, si ejus conditio et securitas publica illud requirit, eum in manocomium poni in tempus, annum non excedens; hoc quoque jubere potest tribunal jam ante curam permissam, statim post interrogationem requisitam illius, cujus cura petitur. Tempus illud ad curatoris petitionem continuari potest. Tam ad petitionem apud tribunal, quam ad appellationem, quae curatori et cognatis affinibusve, qui advenerunt, patet, ministerium publicum audiendum est 2). Ad petitionem conjugis, cognatorum in linea recta et in linea collaterali, usque ad gradum tertium curando junctorum, curatoris et ministerii publici, — quod ad omnem petitionem audiendum est — tribunal aut una cum cura concessa aut postea jubere potest curandi prodigi inclusionem in domum correctoriam, si ipsius securitas publicave requirit illud decentia, aut si habitus ejus malus societati perniciosus est; urgente necessitate, jam pendente lite, inclusionem illam permittere potest tribunal; inclusio concedi nequit in tempus annum superans; concessum tamen tempus continuari potest. Omnibus,

1) Spec. art. 737—741.

2) C. art. 509 et 510.

qui inclusionis petendae jus habent, appellatio patet 1). Quod ministerium publicum petere secundum Codicem non possit curandi ob insanam mentem inclusionem, omnino vero curandi prodigi, perperam statutum mihi videtur, atque igitur Speciminis praeceptum praefero. Inclusionis petitio curando insinuanda est, qui illi intercedere potest apud tribunal, aut per appellationem ad curiam provincialem; sententiae tamen exsecutio provisionalis juberi potest; ut inclusio tollatur, curandus petere potest a tribunale, quod, personis modo nominatis auditis, pronuntiare debet sententiam, in quam appellatio patet 2).

§ 8. Curatori Specimen imponit officium inventarii faciendi similiter, ut tutori; idem statuit Codex 3). Ad curam quoque applicat Codex, quae hic statuit de summa decernenda, quam pupillus quotannis consumere possit, — de apte ponendis (beleggen) illis, quae quotannis e pupilli reditibus restent, — de pupilli documentorum aeris alieni nationalis transcriptione in librum majorem curanda 4). Reliqua quoque de tutelae administratione, ut de actionibus intendendis, — de transactionibus perficiendis, — de causis arbitris mandandis, — de alienatione et obligatione rerum immobilium, — de hereditate adeunda vel repudianda, — de donatione accipienda vel recusanda, — ad curam quoque applicant Specimen et Codex 5).

§ 9. Quod de cura et curatoris administratione finienda statuit Specimen 6) etiam jure nostro ita sese ha-

1) C. art. 511 et 512.
2) C. art. 513.
3) Spec. art. 749 et C. art. 444.
4) C. art. 446, 449 et 450.
5) Spec. art. 757; C. art. 506.
6) Spec. art. 759 et 760.

bet, hoc tamen cum discrimine, hodie feminam nubentem eo ipso cura non liberari, fortasse tamen eo curatoris administrationem finiri, quum maritus curator ejus fieri videatur. Quae in petenda cura sunt observanda, et in ea finienda observari jubet Specimen et Codex 1); addit tamen Codex, curandum non recipere jurium exercitium, antequam in rem judicatam abierit sententia. Eandem Specimen curatoribus, quam tutoribus concedit mercedem; quum Codex illis, ad tutorum exemplum, omnem mercedem denegat 2). — Constante cura, rationes secundum Specimen reddere debent curatores tribunali, quoties hoc illud petit, et minimum una vice per biennium; Codex vero curatorem hoc facere jubet curatori subrogato, eodem modo, quo tutorem tutori subrogato 3). — Quae de rationibus a tutore reddendis et de praescriptione actionis tutelae dictum est, tam Specimen quam Codex ad curam applicat 4). — Pupillum propter insaniam sub curam non poni statuit Codex, licet per se jam pateat; addit autem talem, in manocomium poni non posse, antequam tribunal illud secundum praecepta de curando includendo, quoad haec huc applicari possunt, permiserit 5).

1) Spec. art. 761; C. art. 316 et 317.
2) Spec. art. 762; C. art. 469.
3) Spec. art. 763; C. art. 429 et 430.
4) Spec. art. 765 et C. art. 506.
5) C. art. 518.

CAPUT XXIII.

DE ABSENTIA 1).

§ 1. Ita inscribitur Codicis titulus XIX, quum Speciminis titulus (XXII), de hoc argumento statuens, inscribitur: de cura bonorum absentium. Curae et curatoris nominum loco, Codex usurpat vocabula administrationis et administratoris. Speciminis tituli inscriptio ideo minus mihi placet, quod titulus multo plus continet, quam ipsa ejus inscriptio indicare videtur. Perspicuitas major et major absentium cura Codici denegari nequit.

§ 2. Definit Specimen absentes illos, quorum obitus ignotus est, sed qui non degunt in loco domicilii vel habitationis ordinariae, attamen non crearunt mandatarium, qui eorum res administret, aut quorum mandatum insufficiens est, aut finitum est; mandatum finitur lapsu decennii post nuntium absentis supremum 2). Sic autem definitos naturali verbi sensu absentes dicendos esse, non nego, attamen Specimen ita significare velle juridice absentes, quorum res juridicam requirant provisionem, probare minime possum. Ex ipsa enim definitione sequitur, legem intelligere absentes omnes, qui, mandatario non relicto, a loco habitationis absunt, licet certe constet, illos adhuc vivere, et locus, quo degant, notus sit 3).

1) Regtsgel. bijdr. V. pag. 240—248.
2) Spec. art. 766 et 795.
3) Donker Curtius l. c. pag. 338—340.

§ 3. Codicis tituli sectio prima praecepta continet, quae pertinent ad eos, qui neque ipsi, neque per mandatarium adsunt, licet eos in vivis esse constet, — simalae eos repraesentari requiratur. Ut absentia haec adsit, non requiritur igitur mortis praesumtio; unicum illud sufficit, opus esse eorum praesentia, ut aliquid per ficiant, — quo casu tertius ad absentis commoda curanranda nominandus sit 1). Quodsi igitur requisita illa adsunt, illi, quorum interest, et ministerium publicum a tribunale petere possunt, ut quis nominetur, qui absentis bona aut in totum, aut pro parte administret, et eum repraesentet. Administrator hic, — si opus est, obsignatione facta, — bonorum administrandorum inventarium facere debet, — pecuniam numeratam in consignationum judicialium cistam deponere et ceteroquin observare tenetur, quae tutoribus imponuntur, in quantum haec ad ejus administrationem applicari possunt. Ministerio publico apud tribunal quotannis rationes reddere debet administrator, quarum tamen probatio juribus absentis aliorumve, quorum interest, non nocet; annuam mercedem, quae constat in duobus et dimidio pro centum redituum et uno et dimidio pro centum expensarum, postulare potest administrator 2). — Speciminis praecepta hac de re huc redeunt. Ad conjugis, cognatorum affinium, ministerii publici petitionem concedere potest tribunal absentis bona sub curam poni, quum aut talem provisionem absentis commodum postulat, aut ejus mors praesumitur; ad factam petitionem audientur, quantum fieri potest, absentis coujux vel proximi, qui in absentis domicilii relicti loco habitant, quum petitionem non

---

1) De Pinto, l. c. II. pag. 193.

2) C. art. 519—522.

ipsi fecerint. Curam permissam denuntiare debet curator in ephemeridibus, hanc in rem a judice decernendis. Talis autem provisio fieri potest aut circa omnes absentis res, aut ad rem specialem gerendam. Administrationem suscipere invitus nemo cogitur; causae, cur quis aut absentis curator esse nequeat, aut a cura hac gerenda amoveatur, eaedem sunt, quae in tutela vel majorum cura valent. Scripto sese obligare debet absentis bonorum curator eodem modo, quo majorum curator; eodem modo inventarium facere, absentis bona administrare, rationes reddere durante administratione tenetur; eadem ei merces competit, quae tutoribus et majorum curatoribus. Omnem curam illam prohibere potest uxor, quae cum absente in communione aliqua bonorum matrimonium iniit, et a judice petit potestatem curandi communionis jura et commoda. Curator, vel conjux, qui auctoritatem judicialem impetravit, bona administrata reddere debet aut absenti redeunti, ejusve mandatario, — aut ejus descendentibus adhuc ignotis, aut quum absentis mortis momentum cognoscitur, ejus heredibus, ita tamen ut, quum auctoritatem judicialem adeptus est conjux, communio continuata censeatur 1).

§ 4. Videamus jam, quid de absentis bonorum occupatione ab illius heredibus statuant Specimen et Codex. Antequam de successione sermo esse possit, requirere videtur Specimen, ut absentis bonorum cura praecesserit, quum secundum Codicem nihil ad rem facit, num locum habuerit administratio praevia, nec ne 2). Secundum Specimen autem, aut decennio elapso inde a curatoris creatione vel ab auctoritate judiciali, conjugi facta, et si-

1) Spec. art. 767, 768, 769, 770, 773, 782, 783 et 784.

2) Spec. art. 774 et 778; C. art. 523.

mul ab ultimo momento, quo de absentis vita constaret, — aut, quum aetatis annum 75 implevisset absens, et simul biennio minimum elapso post curatoris creationem, aut auctoritatem conjugi superstiti factam, et simul post momentum ultimum, quo de absentis vita constaret, — ad petitionem conjugis, eorum, qui heredes esse praesumantur, aut aliorum, quorum interest, tribunal, auditis curatore et, quantum fieri potest, iis, quorum interest, permittere potest, ut de absentis hereditate agatur provisionaliter, ut in casu mortis. Ut de iis, qui heredes praesumendi sint, constet, illud attenditur tempus, quo supremo absentem adhuc vixisse constat 1). — Secundum Codicem vero, uti vidimus, non quaeritur, num administratio provisionalis locum habuerit, nec ne; sed, quinquennio elapso post tempus, quo abiit absens, vel quo de eo ultimus notus fuit nuntius, mandatario non relicto, aut elapso decennio post idem tempus, si absens mandatarium reliquit, et si mandatum jam prius ceciderit, — illi quorum interest, petere possunt a tribunale, ut absens, per citationes, per tres menses currentes, ter repentendas, inserendas ephemeridibus, ad id a judice decernendis, — affigendas portae principali aedium, in quibus sessionem habet tribunal, — et affigendas absentis domicilii supremi curiae municipali, ad tribunal citetur. Laudandum omnino mihi videtur Codicis praeceptum, nihil referre, num administratio locum habuerit nec ne, nam revera haec nihil ad rem facit, deinde absentis commodis hoc loco recte consulit Codex, quum jubeat citationes illas fieri, quae, ex jure patrio pristino 2) receptae, quam optime curent, non inscium ab-

1) Spec. art. 774—776, 778 et 781.

2) Voet ad tit. D. de in jus voc. § 16.

sentem rebus suis privari. Antequam sententiam pronuntiat tribunal, testes adhuc audire potest, attendere debet ad omnia, quae ad rem faciunt, et tunc etiam per tempus, quinquennium non excedens, sententiae pronuntiationem differre et citationes novas jubere potest. Quando igitur secundum haec omnia tribunali videtur opportunum, illud, ministerio publico audito, declarare potest existere praesumtionem obitus absentis inde a die, quo supremus absentis nuntius exstat, diserte in ipsa sententia exprimendo. Declaratio haec ephemeridibus publicanda est iisdem, quibus citationes insertae sunt 1).

§ 5. Petitione, ut de absentis bonis agatur ut in casu mortis, a tribunale concessa 2), — secundum Specimen cura, vel auctoritas judicialis uxori tributa, tollitur, rationes reddet curator, hereditatis inventarium perficietur authenticum, nisi hoc factum jam est; qui jus habere contendunt, curare debent absentis testamentum, quodsi exstat, legali modo aperiri 3). Deinde illi, qui jus habent, separationem et bonorum hereditariorum possessionem postulare possunt, sed, quum nondum aetatis annum 75 impleverit absens, non nisi data fidejussione, a judice probanda; portio ejus, qui debitam cautionem non praebuit, administranda est a curatore, qui reditus puros illi, qui jus habeat, quotannis tribuere debeat; fidejussoris obligatio tollitur, quum aetatis annum 75 implevisset absens, nisi fidejussor prius in jus vocatus sit. Bonorum, sic acquisitorum, fructus, bona fide perceptos, ut reddant, cogi numquam possunt possessores; ipsa vero bona hereditaria tradere debent absenti ipsi

1) C. art. 523—527.
2) Spec. art. 774 et 778.
3) Spec. art. 1919—1930.

redeunti, mandatariumve creanti, cujus jus nulla praescriptione perimitur, — aut ejus descendentibus adhuc ignotis, quorum jus praescribitur lapsu 30 annorum post judicialem declarationem, de qua vidimus 1), aut illis, qui melius jus habere probarint, quam heredes praesumti 2). — Curam majorem absentis commodis gestam in Codice animadvertimus. Simulac absentis mortis praesumtionem proclamavit tribunal, illi, quorum interest, testamenta ut aperiantur, postulare possunt; qui heredes absentis praesumuntur, ut administrator, si quis est, rationes reddat, postulare possunt. Quicunque in res hereditarias jus habere praesumuntur, illud provisionaliter exercere possunt. Nemo tamen ad bonorum possessionem admittitur, nisi cautionem det seu personalem, seu realem, a judice probandam, quae tunc demum non requiritur, quum aut anni 30 inde a die mortis praesumtae, aut anni 100 inde ab absentis natalibus praeterlapsi sunt. Quodsi debita cautio non datur, bona a tertio administranda sunt, et rerum mobilium venditio juberi poterit, nisi, qui cautionem dare debuisset, jurejurando affirmet, se cautionem reperire non potuisse, et quidem secundum praecepta de usufructu, in quantum haec huc faciant 3). Hoc etiam loco Codicem Specimini praefero, quippe quod cautionem non amplius requirat, quum aetatis annum 75 implevisset absens; non enim tempus hoc certus vel vulgaris est vitae terminus 4). Qui heredes praesumuntur, inventarii beneficium habent; beneficium hoc tollitur, nisi statim post occupationem rerum, ab ab-

1) Spec. art. 774 et 778.

2) Spec. art. 777, 779, 780, 782—785.

3) C. art. 833 et 834.

4) Donker Curtius l. c. pag. 350 et 351.

sente relictarum, inventarium fecerint, — aut si bona quaedam mala fide inventario non adscripserint, aut subtraxerint 1). Qui heredes praesumuntur, absentis bona inter se provisionaliter dividere possunt; ut procedat divisio, bona immobilia nihilominus vendi nequeunt, attamen, quum haec neque alicui in totum assignari, neque commode dividi possunt, sub sequestrationem ponentur et eorum reditus jus habentibus tribuentur; horum omnium actum conficiendum est, quo simul appareat, quid legatariis et aliis tributum sit; actum hoc una cum inventario et acto, quo cautio data est, in tribunalis graphium transferendum est. Quicunque absentis bona immobilia possident, aut administrant, in suam securitatem petere possunt, ut illa ab expertibus, a tribunale creatis, inspiciantur, et eorum fiat descriptio, quae, una cum expertium considerationibus a tribunale, ministerio publico audito, probatis, in graphio serventur. Usufructuariorum jura et officia ad heredes quoque praesumtos pertinent, in quantum ad hos applicari possunt. Bona immobilia neque alienari nec obligari licet, nisi graves ob causas tribunal hoc permittat. Quum nuptias in communione generali, aut lucri et damni, aut fructuum et redituum absens contraxerat, per decennium absentis hereditatis occupationem impedire potest conjux superstes, et communionem continuare et bonorum administrationem ipse suscipere aut retinere sub conditione inventarii, modo laudati, conficiendi; quodsi conjux occupationem illam sinat, communionis partem suam et, quaecunque sibi debentur, recipere potest, dummodo cautionem praestet debitam; uxor licet continuationem communionis praetulerit, jus tamen huic renuntiandi retinet. Quicunque bona absen-

1) C. art. 1077.

tis detinent, rationes reddere et bona tradere debent absenti ipsi, si rediit is, aut iis, qui melius jus probant; et quidem, si hoc obtinet intra 15 annos inde a die mortis praesumtae, fructuum partem dimidiam, — et quum hoc fit post tempus illud sed ante annos 30 praeterlapsos, quartam fructuum partem tradere debent, nisi aliter tribunal statuerit propter res relictas exiguas. Hic etiam Codex Specimini praestat, quippe quod fructuum redditionem numquam requirat. Quum praeterlapsi sunt anni 30 a die mortis praesumtae, aut prius anni 100 ab absentis natalibus, fidejussores obligatione solvuntur et ad definitivam procedere possunt divisionem heredes praesumti, qui tunc, inventarii beneficio sublato, hereditatem aut adire aut repudiare debent; absens dein rediens, repetere tantum potest bona in quacunque haec sint conditione, bonorum alienatorum pretium, aut ea, quae ex hoc emta sint non vero amplius fructus aut reditus. Tempus hic absenti statutum non est et merito; unde sequitur eum jus repetitionis praescriptione non amittere. Idem quidem jus absentis descendentibus conceditur, sed illud praescribitur ordinaria annorum 30 praescriptione. Animadvertendum porro est, legislatorem nostrum omisisse statuere, cautionem quoque realem tolli, quum anni 30 a die mortis praesumtae aut anni 100 ab absentis natalibus praeterlapsi sunt 1).

§ 6. Secundum Codicem, qui jus reclamat, quod ab absente ad se transiisset, sed quod absenti supervenit demum, postquam, num hic existeret, dubium factum sit, probare debet, absentem vixisse ipso momento, quo jus illud ei advenerit; qui vero eodem in casu jus habent in hereditatem vel legatum, quod absenti advenerit, post-

1) C. art. 528—544.

quam de ejus existentia dubium ortum sit, si absens mortuus fuisset, hanc mortem probare non tenentur, sed, auctoritate a tribunale accepta, hereditatem talem legatumve occupare possunt; commodis tamen eorum, quorum interest, prospicere potest tribunal per citationes aliosque modos idoneos. Quod tamen postea apparebit pertinere ad absentem aut illos, in quos hujus jus transiit, illud hi intra praescriptionis terminum petere possunt; de fructibus recuperandis eadem valet regula, de qua supra vidimus, quum tempus, regula hac statutum, computatur a die, quo absenti jus advenit 1). Sic etiam secundum Specimen hereditas legatumve, quod absenti advenit, hujus successoribus non tradetur, nisi illi probaverint, absentem hujus adventionis tempore vixisse. Probatione vero hac deficiente, ad absentis conjugis, proximorum, vel bonorum curatoris petitionem nihilominus nominare potest tribunal curatorem specialem, qui absentem repraesentet; quae cura quum per quinquennium constitit, bonorum possessionem provisionalem postulare possunt illi, qui, absente deficiente, jus haberent. Curatoris hujus creatio non requiritur, si absens, quo tempore ei advenerit hereditas legatumve, aetatis annum 75 implevisset; ut res tamen hoc casu occupentur ab illis, qui, absente deficiente, jus haberent, auctoritas requiritur judicialis. Hac quoque opus non est, quum absens, quo tempore ei advenerit hereditas legatumve, aetatis annum 100 jam implevisset. Certe hisce omnibus multo majorem absentibus curam gerit Specimen quam Codex. Quum, cura concessa, apparet mortuum jam fuisse absentem, quo tempore ei advenerit hereditas legatumve, — qui, mortuo illo, jus haberent, bona ut sibi tradantur, sta-

1) C. art. 545—548.

tim petere possunt. Quum ipse absens redit intra tempus praescriptionis, bona petere potest; idem jus intra idem tempus competit absentis mandatario; illius hereditatis curatori generali, conjugi, cui auctoritas tributa est, aut absentis mortui heredibus, quum patet absentem vixisse, quo tempore ei advenerit hereditas legatumve; fructuum vero, bona fide perceptorum, redditio postulari nequit 1).

§ 7. De matrimonio, ab absentis conjuge contrahendo, novo quae statuit Codex hoc loco et quae in Speciminis titulo: „de secundis nuptiis" occurrunt, majorem partem inter se conveniunt. Codex tamen diserte requirit citationes ter repetitas, quum de numero Specimen silet; porro, praeter ephemeridibus insertionem, citationes illae secundum Specimen insinuandae sunt ministerio publico apud tribunal et secundum Codicem affligendae sunt absentis domicilii supremi curiae municipali et portae principali aedium, in quibus sessionem habet tribunal; porro Codex permittit, judicem sententiam per quinquennium retinere; auctoritas judicialis vi destituitur secundum Specimen et Codicem, quum ante novas nuptias perfectas absens redit, secundum Codicem etiam, quum de hujus vita documentum idoneum adveniat 2).

§ 8. Haec quoque, quae Specimen et Codex statuunt observanda erga liberos in casu parentum vel eorum alterius absentia, multum inter se conveniunt. Marito absente, parentum potestas secundum Specimen 3) exercetur a matre, attamen auctoritate demum tribunalis accep-

1) Spec. art. 786—794.

2) Spec. art. 408, 409 et 423; C. art. 549—551.

3) Spec. art. 771.

ta 1); auctoritatem illam hoc casu non requirit Codex, ex quo tamen absentis cognati vel affines intercedere possunt penes judicem cantonnalem, qui, salva appellatione, pronuntiat 2).

CAPUT XXIV.

DE TABULIS ET ACTIS STATUS CIVILIS 3).

SECTIO I.

De status civilis tabulis generaliter.

§ 1. Specimen tres vocat status civiles tabulas principales, nempe tabulas natalium, tabulas nuptiarum et tabulas obitus, quibus, ut appendices tabularum nuptiarum, addit tabulas nuptiarum denuntiationum et tabulas nuptiarum promulgationum 4). Codex autem requirit tabulas, separatim habendas: 1°. natalium; 2°. nuptiarum denuntiationum et promulgationum; quum tamen rerum illarum duarum conjuncta eidem tabulae inscriptio inconveniens esse posset, permisit regis decretum diei 16 mensis Decembris anni 1838 (Stbl. n°. 44), status civilis officiales tabulam hanc scindere posse in duas, quarum

1) Spec. art. 513.

2) C. art. 552—554.

3) Regtsgel. bijdr. V. pag. 209—212; VI. pag. 226—239; Ned. jaarb. I. 218—270; Kijmmell: observ. nonnullae ad. loc. jur. pat. hod. de act. stat. civ. — Gron. 1841.

4) Spec. art. 796 et 822.

alteri nuptiarum denuntiationes, alteri nuptiarum promulgationes inscribantur; 3°. nuptiarum et divortiorum; de divortiis status civilis tabulis inscribendis omnino silet Specimen, quod recte supplevit Codex; attamen quum hic tantum vocat divortiorum tabulas, omisit etiam vocare illas, quibus dissolutionem matrimonii, post mensae et thori separationem proclamatam, inscribi jubet 1); 4°. obitus.

§ 2. Tabulas illas curat status civilis officialis. Hic autem secundum Specimen est regiminis municipalis membrum aut scriba; attamen alii quoque curam illam mandare potest regimen municipale 2). Codex vero statuit, regimen municipale officialem illum eligere non posse nisi ex suo collegio ipso, quum, si extraneus creari posset, patefieret via muneris illius reddendi cultus divini ministris 3); Codex permittit etiam, plures creari status civilis officiales 4). — Status civilis tabularum cura suprema mandatur potestati judiciariae, quapropter Codex statuit tribunalis praesidem, aut pro hoc judicem paginam primam et ultimam in margine subsignare (kantteekenen) et paginis omnibus parapham (waarmerk) apponere debere 5).

§ 3. Status civilis actorum requisita generalia vocat Specimen nomina, praenomina, professionem et domicilium eorum, ad quorum denuntiationem inscriptio fit; hisce addit Codex eorum aetatem, porro de testibus eadem memoranda. Testes autem illos, ab iis, quorum in-

1) C. art. 260.
2) Spec. art. 796 et 823.
3) Voorduin l. c. II. pag. 50.
4) C. art. 13.
5) Spec. art. 811; C. art. 15 et 28.

terest, eligendos, ut sint mares, aetate majores et regni incolae, seu proximi seu extranei, requirit Codex; de testium adhibitione silere Specimen, vituperandum videtur 1).

§ 4. Qui denuntiationem facere possunt, aut debent, illam quoque per mandatarium perficere possunt; secundum Specimen mandatum privatum sufficit, quod contineat, quaecunque ad inscriptionem rectam faciendam requirantur, quum mandatarius, et si aliter ipse denuntiationem facere posset, mandati vitia supplere vel corrigere non possit; interdum tamen mandatum authenticum requiritur; jubet adhuc Specimen, tam de mandatariis illis, quam de mandantibus eadem in actis status civilis memorari, quae generaliter de denuntiatoribus memoranda sunt. Codex semper requirit mandatum authenticum, et quidem quum non ipsarum partium praesentia requiritur 2).

§. 5. Omne actum status civilis partibus recitari et ab iis subsignari debet; praeterea Codex requirit, ut hoc testibus etiam recitetur, ut actum ipsum declaret, formam hanc impletam esse et ut testes quoque actum subsignent. Quodsi quis signare nequit, Codex requirit hujus impedimenti causam actum memorare; quum Specimen talem jubet notam ponere, quam status civilis officialis verificet 3).

§ 6. Extractus e status civilis tabulis subsignari debent ab officiali status civilis. Hujus autem signum et qualitatem secundum Specimen verificari debet a regiminis municipalis capite, si extractus dati sunt e tabulis,

---

1) Spec. art. 801, 824 et 832; C. art. 18 et 20.

2) Spec. art. 802, 803 et 824; C. art. 19.

3) Spec. art. 805; C. art. 21.

penes regimen municipale depositis, — vel a tribunalis praeside, quum extractus dati sunt e tabulis, ad tribunalis graphium depositis. Codex vero requirit semper extractus verificari a tribunalis praeside vel a judice, qui hujus locum occupat 1).

§ 7. Status civilis officialibus, qui hujus tituli praeceptis contraveniant, Codex minatur poenam, centum florenorum summam non excedentem, — in quantum huic rei non providet Codex Poenalis 2).

§ 8. Specimen regi facit potestatem ita statuendi, ut hujus tituli praecepta rectae mandentur exsecutioni 3).

SECTIO II.

De tabulis et actis natalium 4).

§ 1. Natalium denuntiationem Codex fieri postulat duobus praesentibus testibus 5), quum secundum eum status civilis officialis postulare potest, partum sibi demonstrari. Facultas haec officiali permissa secundum Codicem Napoleonticum 6) absoluta erat obligatio, quam tamen legislator non recepit, quia difficilis esset observatu et valde ideo negligeretur 7).

Denuntiationis obligationem Specimen extendit ad eos, qui matrem infantemve statim post partum curarint, —

1) Spec. art. 809; C. art. 24.

2) C. art. 27.

3) Spec. art. 812.

4) Cleveringa: spec. exhibens quaest. jur. civ. hod. — Gron. 1841. pag. 15—22; Themis VII. 1—28.

5) C. art. 29.

6) C. N. art. 55.

7) Voorduin, l. c. II. pag. 74 et 75.

Codex illam, si extra domum suam peperit mater, imponit illi, in cujus domo peperit 1). Infantis recens nati denuntiationem Codex imponit huic, qui illum reppererit, — Specimen illi, qui eum recipiat; denuntiationem fieri Specimen jubet intra dies tres, de quo statuere omisit Codex; jubet praeterea Codex, ut vestimenta et, quaecunque juxta infantem reperta sint, officiali ostendantur, et ut actum, hac de re perficiendum, probabilem infantis aetatem et signa ejus peculiaria memoret; quae omnia multum facere possunt ad infantis statum detegendum 2).

§ 2. Quodsi acta quaedam desunt, formae quaedam, infra tractandae, requiruntur, ut huic defectui suppleatur; ab illa vero regula exceptionem hoc loco admittit Specimen: concedit enim, spatio trium dierum elapso, denuntiationem atque ejus inscriptionem intra duos menses adhuc fieri 3), licet mulcta quaedam incurratur. Tale quid minime probo; quum legislatori trium dierum spatium nimis breve videatur denuntationi faciendae, longiorem terminum indulgeat, sed ne prius tres tantum concedat dies, et postea addat, hisce neglectis, denuntiationem nihilominus permitti.

§ 3. Quum in itinere maritimo infans nascitur, navis diario inscriptio facienda est, et quidem secundum Codicem intra 24 horas et a navis magistro, coram patre, si hic adest, et testibus duobus praesentibus. Quodsi secundum Specimen navis intravit portum Neerlandum, extractus e diario remittendus est magistratui, rei maritimae praeposito, — quodsi portum peregrinum intravit, consuli Belgae, qui extractum magistratui, modo dicto,

1) Spec. art. 814; C. art. 30.

2) Spec. art. 817; C. art. 33.

3) C. art. 819.

remittat; — et secundum Codicem, quodsi navis intravit portum, intra regnum situm, magistratui. rei maritimae praeposito, — quodsi intravit regni possessionum transmarinarum portum, illi, qui regno ibi praeëst, — quodsi portum peregrinum, consuli Neerlando, qui duo postremi magistratus extractum magistratui primo remittant, a se confectum, quum extractum originalem servare tenentur; admodum prudenter ita statuit Codex. Praeterea addit Codex, licet navis magister alteri duorum illorum magistratuum extractum remiserit, eum nihilominus obligatum esse, in regnum redeuntem, ad extractum remittendnm magistratui, rebus maritimis praeposito 1).

§ 4. Quod ad actum natalicium conficiendum haec notanda sunt. In acto de partu, e matrimonio nato, mentionem fieri Codex requirit parentum praenominum, nominum, professionis et domicilii, — sed in acto de partu, extra matrimonium nato, conficiendo mentionem non fieri de patre, nisi partum hic agnoseat; Specimen vero, neque si nupta, neque si nupta non est femina, aliquid de paternitate, nisi patre volente, memorari permittit, et requirit tantum mentionem nominis, praenominis, domicilii matris, hoc etiam addito, num mater nupta sit, aut fuerit; et, si quidem, memoretur etiam nomen, praenomen et domicilium mariti, aut mariti supremi 2).

§ 5. Quod ad infantis agnitionem inscribendam Specimen et Codex conveniunt; quodsi tamen quis per actum authenticum aliud, quam a status civilis officiali confectum, infantem agnovit, curat Codex, ut unusquisque, cujus intersit, petere possit, ejus mentionem fieri in margine acti natalicii; talis tamen adnotationis omissionem

1) Spec. art. 820; C. art. 36 et 37.
2) Spec. art. 815 et 816; C. art. 31 et 32.

partus statui nocere non posse, aequissime adjicit Codex 1).

§ 6. Specimen statuit, regem perficere posse praecepta de probandis natalibus, quae in castris locum habeant; qua de re ut peculiariter statueret, legislatori nostro visum non est 2).

SECTIO III.

De tabulis et actis nuptiarum denuntiationum et nuptiarum promulgationum.

§ 1. Quod ad requisita nuptiarum denuntiationum et actorum de hisce conficiendorum attinet, notandum est, quod Specimen prae Codice requirat mentionem futurorum conjugum loci natalicii et quodsi illi jam olim nuptias habuissent contractas, conjugis supremi nominis 3). — Secundum Codicem per scripturam etiam fieri potest denuntiatio haec, qua in acta status civilis transcripta, actum solus status civilis officialis subsignet, eique scriptum dictum affigat 4).

Status eivilis officialem Specimen vetat inscriptionem perficere nuptiarum denuntiationum eorum, qui aut non aut nondum matrimonio jungi possunt; quodsi dubium oritur quid, status civilis officialis consulere tenetur regimen municipale, quo inscriptionem permittente, hanc debet perficere quidem, attamen quam citissime et intra

1) Spec. art. 821; C. art. 38.
2) Spec. art. 871; Voorduin l. c. II. pag. 102.
3) Spec. art. 826.
4) C. art. 40 et 106.

horas 48 dumtaxat post primam factam promulgationem hac de re informare ministerium publicum apud tribunal. Porro secundum Specimen inscribi non licet nuptiarum denuntiationem, factam ab iis, qui parentum, tutorum aut tribunalis consensu indigent, nisi hujus consensus documentum exhibeant et tradant status civilis officiali; illud autem jure nostro non videtur requiri, attamen sufficere documentum illud tradi, quo tempore nuptiae perficiendae sint 1). Secundum Codicem autem dubitare non posse videtur status civilis officialis, quin denuntiationem tabulae inscribat; omnes enim hac de re quaestiones ad judicem pertinent, quum status civilis officialis tantum est magistratus quietus (onzijdig), qui tabulis inscribat, quod coram se partes declarent; — inscriptione vero facta, statuit Codex promulgationes facere debere officialem, nisi ei pateat matrimonio justum obstare impedimentum; quid autem, ita recusante officiali, fieri debeat, non huic quidem loco additur, attamen ad exemplum Codicis art[i] 129 conjicere licet sententiam judicialem invocare partes tunc posse 2).

§ 2. Secundum Specimen partes consentientes petere possunt, ut nuptiarum denuntiationis inscriptionem eradat status civilis officialis, qui hujus rei in margine faciat adnotationem, tam a partibus quam ab officiali subsignandam 3). Hoc autem eo tendit, ut tollatur art[i] 148 actio damni resarciendi.

§ 3. Nuptiarum promulgationis actum idem continere Specimen requirit, quod denuntiationis actum, in quantum utriusque acti requisita eadem sunt, quum in mar-

1) Spec. art. 827 et 828; C. art. 126.

2) C. art. 41.

3) Spec. art. 830.

gine adnotandum est, quota sit promulgatio; secundum Codicem actum illud idem continere debet, quod hoc, et praeterea nomina conjugum priorum, quum conjuges futuri olim jam nuptias contractas habuerint, deinde praenomina, nomina, professionem et domicilium partium parentum, tempus et locum promulgationis et declarationem, num haec sit prima aut secunda 1). Promulgationis actum secundum Specimen semel tantum inscribendum est tabulae, quum Codex promulgationis uniuscujusque inscriptionem peculiarem requirere videtur 2). — Status civilis officialem a quo unum plurave acti promulgationis exempla petita sunt, quae locis aliis promulgarentur, hujus rei adnotationem facere officialem jubet Specimen 3); idque recte requiritur, quia sic occurritur memoriae status civilis officialis, qui videre debet, ne nuptias copuletur, priusqum requisitae factae sint promulgationes.

§ 4. Praecipit Specimen, intercessionis factae insinuationem, uti et reliquas insinuationes, huc pertinentes, adnotari, intercessione facta ante primam promulgationem, margini inscriptionis nuptiarum denuntiationis, — et intercessione post illam facta, margini acti promulgationis; Codex vero postulat, nuptiis factae intercessionis adnotationem fieri in margine acti promulgationis, uti etiam sententiarum vel actorum, quibus intercessio tollatur 4).

§ 5. Nuptiarum denuntiationum et promulgationum tabulae tenentur in simplo, neque, ut ceterae tabulae,

1) Spec. art. 832 et 833; C. art. 107.
2) Spec. art. 832; C. art. 42 et 107.
3) Spec. art 836.
4) Spec. art. 829 et 837; C. art. 43.

in duplo. Tabulae illae secundum Codicem ad tribunalis graphium transferendae sunt, uti reliquarum tabularum exempla, anni sequentis mense primo; Specimen vero jubet, anno demum post tabularum illarum occlusionem praeterlapso, eas regimini municipali tradi, et omnino recte exceptio haec a regula generali admittitur, quia denuntiationes et promulgationes per annum vim habent, atque igitur currente anno earum inspectione saepius indiget status civilis officialis 1).

SECTIO IV.

De tabulis et actis nuptiarum et divortiorum.

§ 1. Status civilis officialis secundum Specimen conjuges futuros rogare debet, num eligant communionem universalem, an restrictam 2).

§ 2. Illis, quae secundum Specimen memoranda sunt in acto nuptiarum 3), Codex addit mentionem conjugum status majoris aetatis aut minoris aetatis, — parentum praenominum, nominum, professionis et domicilii, — parentum, majorum, tutorum consensus aut Judicis auctoritatis, — judicis interventionis, — promulgationum requisitarum perfectarum, intercessionis factae sublationis, — praenominum nominum, aetatis, professionis et domicilii testium et graduum consanguinitatis affinitatisve, qua testes cum partibus conjungantur 4).

1) Spec. art. 838; C. art. 22.

2) Spec. art. 842.

3) Spec. art. 843, 801, 826 et 176.

4) C. art. 45.

Status civilis officiali Specimen expresse imponit officium videre, ne perficiat nuptias, contra tituli IV. § 1 et 2 praecepta pugnantes 1).

§ 3. Divortii actum secundum Codicem continere debet praenomina, nomina, professionem et domicilium conjugum diversorum, — mentionem sententiae, qua divortium proclamatum est, cujus descriptio tabulae affiicta maneat, — mentionem graphiarii documenti, quo probatur sententiam in rem judicatam abiisse. Actum illud nuptiarum tabulis inscribendum est; hujus adnotatio ut fiat in margine acti nuptiarum, curare debet conjux, qui divortium obtinuit, postulare potest conjux alter 2).

SECTIO V.

De tabulis et actis obitus.

§ 1. Quales ad obitus denuntiationem faciendam teneantur, dicere omittit Codex, qui tantum statuit obitus actum conficiendum esse ad testium duorum declarationem; Specimen contra recte officium illud mandat defuncti heredibus, exsecutoribus, curatoribus, proximis, aliisve, qui sepulturam curant 3). Quodsi in institutis moritur aliquis, denuntiatio facienda est ab horum rectoribus, et quidem secundum Codicem intra 24 horas, quum secundum hunc status civilis officialis debet quoque obitus certiorem sese facere; praeterea secundum

1) Spec. art. 845 et 846.

2) C. art. 48.

3) Spec. art. 852; C. art. 50.

Codicem in ipsis institutis tabulae habendae sunt, quibus obitus et res ad hunc pertinentes inscribantur 1). Mortis eorum, qui capite plectuntur, denuntiationem carnifici mandat Specimen; secundum Codicem vero curiarum et tribunalium graphiarii officiali status civilis remittere debent descriptionem processus verbalis, de exsecutione confecti, ad cujus finem memorare debent, quaecunque ad actum obitus conficiendum requiruntur 2). — Circa obitum in itinere maritimo, mutatis mutandis, eadem fere jubent Specimen et Codex, quae in casu natalium in itinere maritimo 3).

§ 2. Obitus acta secundum Codicem absolute continere debent praenomina, nomina, aetatem, professionem et domicilium defuncti, ejusque mortis diem et horam, secundum Specimen vero haec omnia et mortis loci mentionem tantum, in quantum fieri potest, quod tamen eodem redit, impossibilium enim obligatio nulla est; — porro Codex postulat fieri mentionem praenominum et nominis alterius conjugis, si mortuus aut adhuc aut olim nuptias contractas haberet, — hoc autem, et in quantum fieri potest, Specimen requirit, quum mortua est uxor; cur hic distinguendum sit, nescio; — porro quantum fieri potest, memoranda sunt nomina, praenomina, professio et domicilium parentum, attamen secundum Specimen tunc demum, quum infans infra annorum 14 aetatem mortuus est; Codex memorare etiam jubet mortui locum natalicium 4). — Obitus actum conficiendum est in loco, quo mortuus est defunctus; recte addit Codex,

1) C. art. 54.
2) Spec. art. 852; C. art. 57.
3) Spec. art. 854; C. art. 60.
4) Spec. art. 853; C. art. 51.

hujus loci status civilis officialem extractum remittere debere, qui defuncti domicilii supremi tabulis inscribatur 1).

§ 3. Sepulturae permissum ab officiali non conceditur intra horas 36 post mortem, neque, secundum Codicem ante quam ille obitus certiorem sese reddiderit 2). — Status civilis officialem vetat Codex actum obitus infantis recens nati conficere, antequam patuerit hujus natalia tabulis inscripta esse; illud quum factum non est, officialis exprimere tantum potest partum, ut mortuum, sibi denuntiatum esse, isque, ut sibi ostendatur, postulare potest 3). Si mors suspecta videatur, Codex statuit, sepulturam permitti non posse, nisi praecesserit cadaveris inspectio judicialis, cujus rei confectus processus verbalis, quantum fieri possit, contineat praenomina, nomina, aetatem, professionem, domicilium et locum natalicium mortui, quum is, qui processum verbalem confecerit, officiali debeat denuntiare, quaecunque ad obitus actum conficiendum requirantur 5). — Ut defuncti et proximorum famae et memoriae parcatur, vetuit Codex, ne in obitus acto fiat mentio mortis violentae, aut capite punitionis, aut mortis in carceribus 6).

---

1) C. art. 50, 56 et 58.
2) Spec. art. 851; C. art. 53.
3) C. art. 52.
4) C. art. 55 et 56.
5) C. art. 59.

— —

SECTIO VI.

De nominibus et praenominibus mutandis.

Nominis mutatio permittitur a rege. Secundum Codicem autem, non prius conceditur quam praeterlapso anno post diem, quo haec ephemeridibus publicis publicata est, quum medio tempore illo ii, quorum interest, a rege petere possunt, ne petitum concedat. Secundum Specimen vero nominis mutationem rex statim potest permittere decreto, quod tamen vim non habeat, nisi anno praeterlapso post ejus insertionem ephemeridi officiali, quo medio tempore illi, quorum intersit, petere possint, ut revocetur decretum 1). Licet res eodem redeat, Codicis tamen praeceptum praefero, rectius enim puto esse, prius quam petitum decreto permittatur, rem bene cognosci, quam prius permitti, et, si postea patet immerito permissum esse, tunc retrotrahi. — Secundum Codicem quum petitum permittitur, petitoris loci natalicii status civilis officiali decretum tradetur, qui hoc in tabulas currentes inscribat, ejusque faciat adnotationem in marginem acti natalicii. Secundum Specimen decreti dati descriptionem authenticam petitor tradere debet officiali domicilii sui, qui illud, anno praeterlapso non retrotractum, in acti natalicii marginem transcribat. Perperam autem loquitur Specimen de officiali domicilii, saepius enim locus domicilii a loco natalicio differt, quo casu ille saltem officialis transcriptionem facere non poterit. Illud adhuc in Codice reprehendendum est, eum non providere casui, quo quis extra imperii territorium natus est, quo casu recte inscriberetur decretum domi-

1) Spec. art. 856—858; C. art. 63—66.

cilii tabulis; quaestionem hanc, jam ab Ordinibus Generalibus motam, non attendisse videtur justitiae minister 1).

SECTIO VII.

De status civilis tabulis et actis corrigendis et supplendis et de illorum defectu.

§ 1. Speciminis sectio penultima de status civilis tabulis et de actis corrigendis et supplendis statuit et ita Codicis sectioni ultimae respondet. Notandum hic est, secundum Specimen ad factam petitionem omnino audire debere tribunal petitoris proximos et omnes, quorum interesse potest petitum recusari, quum Codex statuit tribunal debere, si hujus rei causae sunt, audire partes, quarum interest 2).

§ 2. Sectio peculiaris, qualis Speciminis sectio ultima, quae statuat, quomodo natalia, nuptiae, obitus probentur, quum status civilis acta deficiant, in Codicis titulo de tabulis et actis status civilis non occurrit 3). Plura quidem hac de re praecepta Codex continet, attamen dispersa illa sunt per varios locos; omnia in unum locum conjungi, equidem praeferrem. Specimen statuit, quodsi natalium, nuptiarum vel obitus tabulae regulariter habitae non sunt, aut non exstiterunt, aut perditae sunt, rem probandam esse prae-

---

1) Voorduin l. c. II. pag. 106

2) Spec. art. 862; C. art. 71.

3) Spec. art. 868—871.

sertim adnotationibus, a parentibus, liberis, conjugibus jam defunctis factis 1). Codex primo loco regulam ponit, tam testibus quam scriptis probari posse, status civilis tabulas numquam exstitisse, aut perditas illas esse, aut iis deficere actum 2). Reliqua Codicis praecepta huc redeunt; quodsi deficit actum natalicium et continua status possessio, natalia probari licet testibus, dummodo initium probationis per scripturam adsit, aut graves sint praesumtiones, e factis, de quibus jam constat, profluentes 3); quodsi deficit nuptiarum actum, num probationis modi sufficiant, judici judicandum permittitur, dummodo adsit externa status possessio 4); quodsi probatum est tabulas perditas esse, generalis regula, supra laudata, valet, ut divortii inscriptio probetur 5); eadem regula valet, quodsi obitus tabula aut actum deficit 6).

Specimen adhuc statuit, valere quoque Neerlandorum natalium aut obitus acta, in terra peregrina confecta a ministris, consulibus, residentibus aliisve magistratibus talibus Neerlandis secundum regulas a rege statutas vel statuendas 7).

---

1) Spec. art. 868.
2) C. art. 26.
3) C. art. 319 et 320.
4) C. art. 156.
5) C. art. 49.
6) C. art. 62.
7) Spec. art. 871.

CAPUT XXV.

DE CORPORIBUS MORALIBUS.

§ 1. Personarum naturalium statu tractato, transit Specimen ad tractandas personas juridicas, quas intelligit corpora moralia 1). Illae autem secundum Specimen sunt corpora et instituta, — tam personarum, quam rerum universitates 2). Specimen corpora moralia quoque intelligit civitatem, dominium publicum, municipia, collegia, instituta, quae publica auctoritate consistunt, — ad qualia tamen de corporibus moralibus quaedam tantum praecepta applicat 3); — vituperat ampl[s]. Donker Curtius, sic partem Codicis civilis ad jus publicum erigi 4), mea tamen opinione minus recte; hic enim civitas spectatur non tanquam civitas, sed tamquam persona privata, quae negotia privata contrahat. — Codex noster, qui corpus morale tamquam contractum (quem interdum quidem esse, non vero semper, negari nequit) spectasse videtur, ab illis excepit, quaecunque ad rerum universitates pertinerent 5). His tamen universitatibus variis locis ipse Codex varia tribuit jura 6), quae ab iis, nisi essent illae personae juridicae, exerceri non possent. Qui igitur vult finem,

1) Spec. tit. XXIV.
2) Spec. art. 872.
3) Spec. art. 894.
4) Donker Curtius l. c. pag. 354 et 355.
5) J. Pols. diss. laud. pag. 61—63.
6) C. art. 947, 1717, 1889, 1991; C. de meth. proc. in caus. civil. art. 4 n°. 2. et 242.

vult quoque media, atque igitur legislator noster rerum quoque universitatibus personam juridicam tribuisse censendus est. Ideo tamen ipso perperam a Specimine discessit legislator noster; quaecunque ad personam juridicam pertinent, sunt conjungenda, et quaecunque spectant personas habiles ad jura exercenda, seu naturales, seu juridicas tantum, in eodem loco, qui jus personarum tractat, sunt tractanda. Causa, cur argumentum hoc ad locum de contractibus relegaretur, unica fuisse potuit haec, quod corpora moralia quaedam oriantur ex contractu; attamen contractus hic non est regula, neque hoc loco tam contractus spectatur, quam persona juridica, negotiorum gerendorum habilis 1). — Distinguit Codex corpora moralia in ea, quae auctoritate publica instituta vel agnita sunt, et quae ut licita permissa, aut in certum finem, legibus vel bonis moribus non obversantem, composita sunt 2). — Specimen tunc demum plurium hominum conjunctionem in unum eundemque finem spectat et considerat tanquam corpus morale, si aut corpus consilium manifestaverit constituendae personae juridicae sub certo nomine et regimine, — aut si institutum certo sub regimine in finem certum et continuum destinatum est; praeterea, ut illa tamquam corpora moralia considerentur, requirit Specimen, ea consistere, sciente regimine municipale, — et quum in finem politicum vel religiosum constituuntur, requirit Specimen expressam regis probationem 3). Auctoritatem illam publicam Codicem nostrum non requirere dolendum est; hoc enim quod ex Codice nostro juris est, ansam

---

1) Pols l. c. pag. 18—20.
2) C. art. 1690.
3) Spec. art. 873 et 874.

dare potest jurium conditioni incertae, quum interdum de corporis moralis existentia difficillima erit quaestio 1). Nimiam tamen licentiam aliquantum coarctavit Codicis Poenalis art[us]. 291, qui tamen non omnibus in casibus regiminis summi approbationem requirit, atque igitur in reliquis licentiam permittit.

§ 2. Hisce insequitur Speciminis 2) praeceptum, quod diserte statuit, praecedentia non pertinere ad societatem civilem aut mercatoriam, atque sic dissolvitur quaestio, quae saepius jure nostro agitata est; plures enim quaestionem, a Specimine negative responsam, jure nostro affirmando dissolvunt, mea tamen opinione, minus recte. Primum enim corporis moralis requisitum, personarum universitas, societati deëst; haec enim ut existat, requiritur, ut res quaedam communis fiat, ut opera communicetur, et quidem commodi communis causa; quum igitur sermo sit de communibus hisce, notio unitatis, universitatum requisiti, cadit; pluribus haec demonstravit Pols. diss. laud. pag. 38—47. Altera quoque corporis moralis nota, personae juridicae fictio, societatibus deëst, quum enim hae personarum universitatem non constituunt, deficit subjectum, quod personalitate condonetur; quod ad societatem anonymam, quae rerum universitas est, haec personae fictione non indiget, quum ad fictionem non sit recurrendum, ubi jam persona naturalis, ut subjectum, adsit 3). Alii, licet societatem corpus morale non dicant, nihilominus contendunt, legislatorem velle eam haberi personam juridicam; non tamen rectius; ubi enim de juribus et obligationibus societatis locutus

---

1) Pols l. c. pag. 72—75 et 78.

2) Spec. art. 875.

3) Pols l. c. pag. 48—52 et 59; Themis I. 143—164.

est legislator, cogitavit socios, neque igitur de persona juridica sermo est; porro, non leviter recurrendum est ad personae fictionem, quippe quae exceptionem pariat a jure communi 1).

§ 3. Corpus autem secundum Specimen adest, simulac tres ad minimum personae modo legitimo sese conjunxerunt, — institutum, simulatque ad finis propositi consecutionem agit; idem hoc valet de corporibus moralibus, auctoritate publica constitutis 2); secundum Codicem, qui nihil hac de re statuat, et duae personae sufficiunt ad corpus morale constituendum. — Quod dicit Specimen, corpus morale tam in ejus membra, quam in tertios jura habere posse, atque jura haec tunc non magis esse membrorum, quam membrorum jura corporis moralis 3), non disertis quidem verbis repetit Codex, attamen hoc secundum eum non aliter sese habere, ex corporis moralis nota satis sequitur. — Secundum Specimen corporum moralium, auctoritate publica constitutorum, jura externa, — et interna jura et obligationes, seu inter corpus ejusque membra, seu inter membra ipsa, reguntur pro corporis cujusque conditione et dijudicanda sunt seeundum instituta, a potestate competente emanata; similiter statuitur circa corporum moralium privatorum jura et obligationes internas regendas, quae dijudicentur ex conditione, cui potestas competens injunxerit privilegium suum constitutionis, quod Neerlande „octrooi" audiat, et ex constitutionibus, a conditoribus aut membris factis 4). Statuit Codex, membrorum

1) Pols l. c. pag. 59—61.
2) Spec. art 876 et 894.
3) Spec. art. 878.
4) Spec. art. 879 et 894.

jura et obligationes componi secundum constitutiones, sub quibus corpora haec a regimine publico constituta sunt; — aut secundum proprias eorum institutiones, et hisce deficientibus, secundum hujus tituli praecepta 1). Addit Specimen, corporum moralium privatorum constitutiones valere ut contractus, neque vim habere contra tertios, nisi qui, illarum conscientes, hisce expresse aut tacite sese subjecerint 2).

§ 4. Corpus morale, ut persona individua, solum obligationibus suis obligatur, neque ex illis obligantur membra, pari ratione, quae in persona naturali obtinet; haec enim quum sese obligavit, nemo facile contendet, hujus personae partem aliquam obligatam esse; — atque illud non leve simul est discrimen inter corpus morale et societatem, in qua socii magis minusve ipsi tenentur 3). Statuit igitur Specimen, statuit et Codex 4), corporis moralis, neque publici, neque privati, membra illius debitis teneri; addit tamen Specimen: nisi lege aut contractu contrarium statutum sit; pactum tale adhuc licere demonstravit regimen summum in memoria illius declarativa 5).

§ 5. Statuit Codex, corporis moralis rectores rationes reddere debere, nisi institutiones vel conventiones aliud statuant, universis membris, — ad quod unumquidque membrum illos evocare possit 6).

§ 6. Specimen statuit, quodsi per exceptionem secun-

1) C. art. 1697.
2) Spec. art. 880.
3) Pols l. c. pag. 64 et 65.
4) Spec. art. 881 et 894; C. art. 1698.
5) Voorduin l. c. V. pag. 314.
6) C. art. 1695.

dum hujus tituli praecepta membra obligentur actibus corporis moralis, hoc tantum spectare ea, quae actionis tempore corporis membra sunt; quum tamen ex priorum membrorum facto obligatio nata sit, tunc illa eorumque heredes teneri 1).

§ 7. Corpus publicum et privatum secundum Specimen interit, quum membrum superstes unicum moritur aut corpus se dissolvere declarat 2). Codicis regula esse videtur, corpus morale interire, quum prima ejus nota, personarum universitas, tollitur, i. e. nisi ad minimum membra supersunt duo 3). Porro dicit Specimen, corpora privata interire, quum a regimine prohibentur 4); talem vero potestatem regimini non concedit Codex.

§ 8. Corporis moralis qualitatem personalem esse, neque ad heredes transire, nisi constitutiones aut institutiones aliter statuant, Codex dicit 5), et ita corporis moralis naturae convenienter; membrum enim, ut membrum, persona non est, neque igitur in id successio locum habere potest. — Corporis moralis interitus tertiorum jura non laedit 6); quod autem, debitis solutis, ex rebus corporis moralis superest, stricto jure, ut res vacans, civitati cederet, sicuti etiam Specimen anni 1816 cavebat 7); aequitas tamen suadebat, et Codex noster principium assumsit, res superstites ad membra pertinere, quum haec illas plerumque contulerint 8); quaestio-

1) Spec. art. 891 et 892.
2) Spec. art. 890 et 894.
3) Pols l. c. pag. 17 et 79—82.
4) Spec. art. 888.
5) C. art. 1701.
6) Spec. art. 893 et 894; C. art. 1702.
7) Spec. anni 1816. art. 1000.
8) Pols l. c. pag. 67.

nem non attigit Specimen anni 1820. Membra autem Codex exaequat heredibus, qui hereditatem sub inventarii beneficio adierunt, quod attinet ad creditores evocandos, ad rationes reddendas et ad debita solvenda; quodsi obligationibus hisce non satisfaciunt membra, singula in solidum obligantur 1).

1) C. art. 1702.

TANTUM.

THESES.

I.

Praescriptio non est juris naturae.

II.

L. 1. § 4 et l. 23 ff. de dolo malo non sunt contrariae.

III.

Faciliter conciliantur l. 67. § 1. ff. pro socio et l. 1. § 1. ff. de usur. et fruct.

IV.

In l. 29. § 1. ff. de statulib. pro verbis: „secundum eum sententia dicta est, qui *testamento* ajebat se heredem esse" legatur: „secundum eum sententia dicta est, qui *lege* ajebat se heredem esse."

V.

Leg. Imp. art$^{us.}$ 163 minus recte Procuratori Generali in Curia Suprema munus ad vitam mandavit.

VI.

Sententiarum cassatio e jure nostro removenda est.

VII.

Nuptiae, per mandatarium contractae post mutatam mandantis voluntatem, sed certiore hujus rei nondum facto mandatario, jure nostro valent.

VIII.

Praesumtionem mortis declarare potest judex post ali-

cujus absentiam per decennium, licet absens mandatum in plures annos reliquerit.

IX.

Instituta ad pias causas non sunt jure nostro corpora moralia.

X.

Ad contrahendam societatem mercatoriam sub certo nomine (firma) instrumentum est conficiendum solemnitatis causa.

XI.

Ratio idonea reddi nequit, quare Codex Mercatorius noster prohibeat, societatem assumere nomen socii commanditiarii.

XII.

Mercator, debita civilia solvere desinens declarari potest esse in conditione debitoris obaerati (staat van faillissement).

XIII.

Qui causa cadit, secundum Codicem de Re Jud. Civ.

in expensas condemnandus est, licet adversarius hoc non petierit.

XIV.

Insinuatio art^{i}. 210 C. de Re Jud. Civ. procuratori fieri debet sub poena nullitatis.

XV.

Perperam statuit C. P. art^{us}. 2, conatum, actibus externis manifestatum et initio exsecutionis mandatum, qui casu fortuito et modo, ab agentis voluntate independente, prohibitus est, pro ipso crimine haberi.

XVI.

C. P. art^{us}. 13 apud nos non amplius valet.

XVII.

Criminis reus, qui propter aetatem ad poenam tantum correctoriam condemnatus est, iterum delinquens, non incidit in C. P. poenas recidivatus.

XVIII.

In C. P. art^{o}. 247 verba: „arrêtés pour d'autres cri-

mes ou délits" spectant illos tantum, qui propterea condemnantur, non, qui absolvuntur.

XIX.

Judex, cui causarum criminalium instructio mandata est, in instructione tit[i]. III. C. de Re Jud. Crim. perficienda libros et scripta etiam extra rei domum inquirere potest.

XX.

Licet Praeses Curiae Provincialis accusato non dixerit, eum intra quinque dies post interrogationem art[i]. 148 C. de Re Jud. Crim. petere posse cassationem secundum art[um] 150, nihilominus tempore hoc praeterlapso, jus illud amittit accusatus.